



Q. D. B. V.
DE

1730

Vol. 2. S. 2

12

REFORMATIONE

PHILOSOPHICA
CONDENDISQVE LIBRIS IN
PHILOSOPHIA SYMBOLICIS

14

QVAM

SVB DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI
ORDINIS

ANNO AVGVSTANAE CONFESSIONIS
SECVLARI SECVNDO

CIRCA IPSA SOLENNIA IVBILAEA

AD DIEM IV. IVLII

IN AVDITORIO MAIORI

PRAESIDE

SAMVELE CHRISTIANO
HOLLMANNO

PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO EXTR. EIVSDEM.
QVE ORDINIS ASSESSORE ET H. T. DECANO
PVBLICE DEFENDET


HENRICVS ERNESTVS STIEFEL

LANGENSALZA-THVRING. S.S. THEOL. STVD.

VITEBERGAE

LITTERIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII

1780



155
P



AD LECTOREM BENEVOLVM.

MVLtum iam effluxit temporis, L. B. ex quo nihil luci publicae, sub disputationum academicarum habitu, a me expositum est, cuius tamen rei causa non tam mihi met ipsi, quam aliis potius, quae se mihi obiecerunt, impeditis, tribuenda venit. Etsi ipsi enim conflictui, quo ventilari eiusmodi commentationes academicae solent, parum omnino ad veritatis inquisitionem tribuo, siquidem, qui, disputaturi, publice in acroateis conueniunt, eo plerumque animo conueniunt, ut, qui praesidis, vel respondentis, vti vocari solent, munere fungitur, semper etiam causa superior, qui oppositis vero, inferior sit, atque ex arena discedat, mori tamen illi, sub disputationum academicarum forma cogitationes suas, de argumentis grauib, atque inquisitione dignis, publice proponendi, multum omnino tribuendum esse, existimauerim, neque res ipsa, propter abusum illum adhaerentem, adduci statim in contemptum debet. Vnde dudum etiam de vno alteroue argumento philosophico, mea quidem sententia, quod vberius illustretur, non indigno, meas qualescunque meditationes publice, sub hac ipsa commentationum academicarum forma, iterum proposuissem, nisi variis impeditis fuisset hinc laboribus, hinc obstaculis aliis. Quopropter, quum per haec ipsa impedimenta vix mihi spes vlla supersit, fore, ut de singulis, quae luce aliqua mihi indigere adhuc videntur, argumentis philosophicis, dissertationes totidem, ad publice ventilandum, proponere in posterum queam; constitutum mihi est, si vires & sanitatem Deus largitus fuerit, quamprimum modo institutionum philosophicarum tertium, qui adhuc restat, totum addere, per bibliopolam, qui sumtus impendit, mihi

A

licue-

licuerit, in singulas disciplinas, uti vocare solent, philosophicas, integra
dissertationum syntagmata conscribere, in iisque, quae vel iusto bre-
uius aliquando in ipsis institutionibus a me dicta sunt, vel ab aliorum
philosophorum opinionibus recedunt, uberius hinc explicare, hinc con-
firmare, simulque in aliorum, circa praecipua vniuersae philosophiae,
hinc theoreticae, hinc practicae, capita, siue recentiores illi sint, siue
antiquiores, sententias inquirere. Cuius quidem instituti non, vel
inanis iactantiae causa, vel, ut locum aliquem inter vanos & inanes
in re litteraria publica promissores quocunque modo occupem, mentio-
nem hic iniucio: sed partim, quod publicae purauerim interesse rei, ut
constet, illos, quibus docendi aliquod in academiis munus publicum
conceditur, non otio diffuere, aut computationibus, ludis, aliis-
que fallendi temporis causa excogitatis rebus, aetatem transigere,
quin id potius, quod sui officii esse intelligunt, agere; partim ve-
ro, ut rationem simul reddam, quare nec hactenus nimium
de sparsim edendis eiusmodi dissertationibus amplius laborauerim, nec
in posterum etiam laboraturus anxie sim, nisi muneris commissi id po-
stulauerit ratio, fuerintque inter commilitones meos suauissimos, qui, me
comite, prodire in publicum optauerint. Quod quum in praesenti face-
re decreuerit nobilissimus politissimusque Stiefelius, hoc praeterea
etiam tempus, celebrandae memoriae augustanae confessionis seculari
consecratum, eiusmodi quid a me videatur requirere, argumentum,
quod tempori aliquo modo conueniret, eligere, atque cogitationes meas
de reformatione philosophica, aliisque huc pertinentibus argumen-
tis, proponere volui. Primas autem, de adeo nobili argumento, hic
duco solum lineas. Quis enim existimauerit, paucis istis pagellis, quas
huic instituto destinauimus, comprehendendi omnia posse, quae de re adeo
graui dici vel debebant, vel poterant. Quae maxime ergo necessa-
ria ad praesens institutum iudicabimus, hic solum offeremus; quae
fundamenti vero loco praestruenda erant, extremis modo, quod aiunt,
atingemus digitis, in ipsisque illis, quas iam promissimus, dissertatio-
nibus copiosius de iisdem b. c. D. sumus acturi.

DE

DE
REFORMATIONE PHILOSOPHICA,
CONDENDISQVE LIBRIS IN PHILOSOPHIA
SYMBOLICIS.

§. I.

QUOD CICERONEM aliquando scribere memini, Quid omnis philosophiae vocabulum notauerit. quando *omnis*, inquit, *quae a varione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur, quid sit id, de quo disputetur* (a), qui etiam Epicurum propterea grauiter reprehendit, quod, de voluptate disputaturus, quid per voluptatis vocabulum intelligat, non definiuerit prius (b); id ipsum, sicubi necesse est alias, hic inprimis obseruandum nobis esse intelligimus, vbi de *reformatione philosophica* verba sumus facturi. Etenim etsi *philosophiae* vocabulum adeo hodie peruulgatum est, vt nemo fere, vel inter tirones ipsos, quid illud notet, ignoret, diuersae etiam eiusdem significationes & vsus iam ab aliis copiose & erudite exposita sint (c), ideoque & inanis quaedam atque affectata videri poterat scrupulosa, circa vocis huius explicationem haerere velle; res ipsa tamen loquitur, quod & inter illos ipsos, qui non infimi sibi subfellii videntur esse philosophi, non pauci sint, qui admodum confusam de philosophia in vniuersum spectata ideam habeant, soloque frequentiori loquendi vsu qualemcunque eiusdem significatum sibi familiarem reddiderint, vnde neque mirum, maximas saepe in philosophia ipsa confusiones parere, quod, qui philosophiam tradunt, aliosque docent, ipsi non raro, quid proprie philosophiae nomine veniat, non satis

A 2

tis

(a) de offic. lib. 1. opp. tom. IV. p. 464. ex edit. cum notis D. Gotthofredi. (b) de finib. B. & M. lib. II. p. 80. (c) id quod inprimis factum a IAC. THOMASIO de origin. hist. philos. §. 1. sq. & in obseru. Hal. tom. VI. obs. 21. vt & a celeb. HEVMANNO act. philos. tom. I. p. 75. sq.

4
 tis intelligunt. Omnis autem huius confusionis causa ab eo vnice videtur esse repetenda, quod paucissimi attendunt, non id hodie philosophiae vocabulum inter nos notare amplius, quod olim illud inter graecos, romanosque, notabat. Vbi enim olim apud vel graecos, vel romanos, eruditionis vniuersae in quatuor, vti vocant, *facultates*, floruit distinctio? Vbi philosophia *theologiae*, *iurisprudentiae* atque *medicinae*, olim vnquam fuit opposita? Numquid ergo philosophia idem hodie adhuc notare potest, quod apud graecos, romanosque, olim significauit? Illis enim philosophiae nomine veniebat, quicquid a quodam tradebatur philosophorum, vnde & omnis graecorum philosophia in *Ionicam*, *Eleaticam* & *Italicam*, seu *Pythagoream*, olim distinguebatur, inter hasque alia iterum, ab auctoribus suis, *Socratica* audiebat, alia *Platonica*, *Aristotelica* alia, vel *peripatetice*, alia *Epicurea*, *Stoica* & *Cynica* alia, alia aliis, pro auctorum diuersitate, compellabatur nominibus. Quis autem hanc appellandi rationem hodie amplius tolerauerit? Recte iam suo tempore monuit, vti inter omnes satis constat, CLEMENS ALEXANDRINVS: *philosophiam non dico Stoicam, nec Platoniceam, aut Epicuream & Aristotelicam, sed quaecunque ab his selectis recte dicta sunt, iustitiam cum pia scientia doctentia, illud omne selectum philosophiam voco* (d). Qua rem vero ipsam philosophiae nomine inter graecos vniuersa rationis cultura & eruditio veniebat, prout & *theologiam*, & *prudenciam* omnem *ciuilem* atque *politicam*, ambitu suo complectebatur: solam enim *scientiam medicam*, HIPPOCRATIS, ipsiusque successorum, aetate, philosophiae contradistinctam esse, nouimus. Prout hanc ipsam vero philosophiam, hoc sensu acceptam, ab hoc illoque philosophorum, alio alioque modo, successu & ordine, pro-

(d) *Stromat. lib. I. p. 288. edit. Frid. Sylburgii*, vbi ipsa Clementis verba graeca legi possunt.

proponi obseruabant, aliis etiam, aliisque, eandem, ab auctoribus suis, vti id modo obseruauimus, nominibus compellabant.

§. II.

MAxime vero diuersa ab hac philosophiae acceptione illa est, Quid post reformationem Luthe-ri: quidque in significa- tu eius genuino eruendo attendendum sit. quae iam, postquam omnis nostra eruditio in quatuor il- las, quas vocant facultates, distingui coepit, obrinet (e). Hic enim id modo proprie *philosophiae* nomen gerit, quicquid ne- que ad *theologiam*, neque ad *iurisprudentiam* & *medicinam*, re- ferri commode potest. Quid vero ad philosophiam, hoc sen- su acceptam, proprie pertineat, id vero definiri a paucis solet. Etenim *post ipsam reformationem*, vbi repurgari philosophia a sordibus scholasticis coepit, philosophia appellabatur, quic- quid ab ARISTOTELE in operibus eius philosophicis, de variis argumentis, ab ipso propositis, erat traditum, aut quic- quid alii, ad eius ductum, de iisdem, in libellis & compen- diis suis philosophicis, dixerant. Et quoniam ipsi illi, qui *ecle- ctice* postea, *seculo* imprimis *superiori*, philosophari coeperunt, *occasionem philosophandi* ex ipso Aristotele sumserunt, atque, qua generalem saltem philosophiam diuidendi, eiusdemque obie- cta distribuendi, rationem, Aristotelem secuti sunt; philoso- phiae ab eo tempore nomine venit, quicquid de rebus illis, quas Aristoteles in scriptis suis philosophicis olim proposuerat, aliisque argumentis connexis, ex proprio, a recentioribus phi- losophis, ingenio tradebatur, plurimisque videbatur sufficere, si Aristotelem modo non coeco sequerentur impetu, sed de argu- mentis, ab ipso propositis, propria sua cogitata promerent. Quo
A 3 vero

(e) Nimis prolixum hic foret de origine & fundamento huius distinctionis, vel diuisionis potius, agere. Paucis ea retigimus in *prolegom. de philos. in genere* §. XII. & XIII. pluribus tamen, & copiosius, de vtroque illo argu- mento, suo tempore exponemus.

vero iure haec vel illa Aristoteles ad philosophiam retulerit, & quare neque plura, neque pauciora obiecta, philosophiae ambitu complexus sit, tum &, quare nos eadem adhuc ad philosophiam referamus, quae ad eandem retulit Aristoteles, quum tamen hodie theologiae, iurisprudentiae atque medicinae, contradistinguatur, quae quidem distinguendi ratio Aristotelis temporibus plane ignota & inaudita fuit, quidque tandem, supposita hac distinctione, ad philosophiam proprie pertineat, ipsaque philosophia speciatim notet; de eo plerumque apud plurimos altum est silentium, indeque & confusissimas de philosophia, generatim spectata, ideas habent. Vnde neque mirari oportet, si apud multos, magni nominis, philosophos, tales *philosophiae* deprehendamus *definitiones*, quae omnibus fere accommodari scientiis possunt, rectiusque in Aristotelis & Platonis, aliorumque graecorum philosophorum, quam nostram aetatem, conueniunt, vti alio quidem tempore iam paucis a nobis est monitum (f), suo autem loco pluribus adhuc erit demonstrandum.

§. III.

Hic confusa huius vocabuli idea nobis sufficit.

Dici vero vix potest, quantum confuso illo de philosophia conceptu de vera eius dignitate atque existimatione apud plurimos derrahatur, qui, quoniam, quid philosophia proprie sit, ignorant, neque iustum quoque eidem statuere norunt pretium, eandemque plerumque pro re, non magni omnino momenti, inanibusque solum conceptibus & speculationibus vanis, atque mere curiosis, plena, ideoque & otiosis solum ingeniis relinquenda, reputare plerumque solent, ideoque & ad studia, quae *panis* modo *lucranda* causa tractant, statim provolant. Et, qui aliter iudicare poterunt, qui naturam atque

(f) in prolegom. de philos. in genere §. XIV.

que indolem propriam rei alicuius nesciunt, quidque nomine ipsius notetur, ignorant? Etsi ergo omnino necesse est, vt distinctam de philosophia ideam habeamus, quippe sine qua omnia in philosophia ipsa mera manent confusio & tenebrae; instituti tamen nostri ratio non patitur, vt distincte, quae summam modo indicauimus, hic euoluamus, sed, quoniam in compendio id iam alibi factum est (g), vberiore huius rei explicationem alio tempore dabimus. Neque etiam res ipsa hic postulat, vt in hunc ipsum nos iam ingeramus campum. Nobis enim hic confusus ille philosophiae significatus sufficit, vbi de eius reformatione agere constituimus. Quilibet enim vulgarem atque famosum vocabuli huius sensum satis intelligit, neque is ipse multa explicatione indiget. Necesse etiam quodammodo est, vt in vulgari atque famoso illo sensu vocabulum illud hic retineamus, vbi de eius reformatione nobis dicendum est. Quodsi alio enim, eoque, quo hodie illud accipiendum esse ostendimus, sensu, idem acciperemus, parum hic a nobis dici de eius reformatione posset, saltem non ea, quae in medium afferre hic nobis proposuimus. In eo ergo vocabuli huius sensu, quo doctrinam a philosophis graecis, imprimis Aristotele, traditam, atque ab aliis successu temporis hinc auctam, hinc emendatam, solummodo notat, hic acquiescimus.

§. IV.

EXposito philosophiae vocabulo, quid *reformationis* nomine hic nobis veniat, paucis indicandum est. Neque enim eodem hoc vocabulum sensu a nobis hic accipi, quo de rebus, ad fidem rerumque sacrarum cognitionem pertinentibus, accipi

Quid reformationis vocabulum hic notet.

(g) I, nempe c. §. XIII. sq.

eipi idem solet, res ipsa loquitur. Hic enim reformationis vocabulum nihil aliud, quam purioris doctrinae coelestis, verbo diuino traditae, a commentis, admixtisque hominum erroribus, repurgationem & liberationem, notat, adeoque iam perfectum aliquod, omnibusque suis numeris absolutum, cognitionis & veritatis coelestis quoddam quasi *σύστημα* supponit, cui nihil neque addi, neque demi, necesse sit, sed quod ab omnibus modo humani ingenii figmentis intactum illibatumque vel conseruare, vel restituere, oporteat. Neque etiam aliud quid *reformationis* vocabulum notare proprie, vi vocis, potest. *Reformatio* enim omnis proprie iam *formam* aliquam supponit, a qua res aliqua aliquantum recesserit, ideoque & restituenda eidem sit; atque reformari idem, ac ad statum suum pristinum reuerti, notare videtur. Quod quum ita sit, per se patet, quod nulla proprie reformatio locum habere in philosophia possit, nisi & generalem aliquam philosophiae formam quasi, & *ὑποτύπωσιν*, in se complectam, omnique ex parte perfectam, ideoque & ab omnibus recipiendam & approbandam, quaeque ab inanibus commentis, sine ratione sufficiente additis, modo liberanda, atque natiuo pristinoque suo splendori restituenda sit, statuere velimus. Eiusmodi vero formam doctrinae & *ὑποτύπωσιν* in philosophia ignoramus, neque hoc titulo vel ARISTOTELIS, vel PLATONIS, vel alius cuiuscunque siue recentioris, siue antiquioris scriptoris, philosophemata, superbire patimur. Neque vero rem ipsam quoque ferre, vt eiusmodi quid in philosophia obtineat, satis superque inferius luculentissimis rationibus confirmabimus. Vnde iam per se consequitur, reformationis vocabulum nihil nobis hic notare aliud, quam quamcunque eiusdem emendationem, atque in statum meliorem commutationem, qua quidem fit, vt ab omnibus, omnique plane fundamento destitutis, figmentis liberetur, atque ipsi
rerum

rerum naturae, sanaeque rationis principis, magis magisque conformis reddatur. *Philosophicam* vero hanc reformationem nam tam a *modo*, quam *obiecto* potius, vocamus.

§. V.

Indiguiffe namque eiusmodi reformatione illam eruditionis nostrae partem, quae philosophiae nomen gerit, olim, hodieque adhuc indigere, extra controuersiam videtur esse ponendum, et si utrobique forsan occurrent, qui diuersa senserint. Etenim iam olim sapientissime a *SENECA*, si recte memini, monitum est, *Indigebat eiusmodi reformatione olim pbilosophia scholastica.* non adeo bene cum rebus humanis agi, ut meliora pluribus placeant, semperque etiam illis, qui profundissimis licet tenebris, grauissimisque erroribus, immersi fuerunt, sua tamen arriserunt placita, illisque, qui reformare, aut in melius mutare, quaedam animi fuerunt, pro gratia odium retulerunt. Nescio enim, quo fascino correpti homines plerumque sint, ut ea, quae a maiorum suorum placitis quomodocunque recedunt, ferre plerumque nequeant, ideoque & eos, qui eiusmodi quid in medium afferunt, vatiniiano plerumque odio prosequantur. Horum ergo, ira affectorum, si ex omni aetate postulemus sententias, strenue illi, esse talem inter se philosophiae statum, qui emendatione quadam notabili indigeat, negabunt. Horum ergo neque stare possumus iudicio, quando hac de re sententia dicenda est, omnibusque illorum non obstantibus contradictionibus philosophiam olim, hodieque, reformatione aliqua indigam & fuisse, & adhuc esse, ingenue profiteamur. Neque prius istud apud illos, qui nostra, maiorumque nostrorum, aetate sunt, fueruntque, philosophos in dubium amplius vocari videtur, siquidem omnes iam vno consententur ore, non ante reformationem b. nostri Lutheri solum, inter scholasticos, sed & post eandem, inter ipsos maximam partem nostrates, talem fuisse philosophiae faciem, cuius nos merito hodie pigeat, poeniteatque. Non iuuat hic in illum nos ingerere campum, ut corruptiones, nugas, in-

epitiasque scholasticorum, quibus omnes philosophiae disciplinae, & disciplinarum partes, adeo misere defoedarunt, ut vix aliquid sani sobriique in illis residui factum fuerit, hic commemoremus. Vel sola enim illorum per omnes disciplinas instituta recensio iustum omnino conficeret volumen, quod satis taedii, fastidiique, lectori esset allaturum. Adeat, qui illa scire discipit, ipsa praecipuorum scholasticorum scripta & opera, passim adhuc in bibliothecis latentia, adeat, qui compendium illorum, & specimina quaedam, desiderat, ADAMVM inprimis TRIBBECHOVIVM (h), atque, ut constet, nec hodiernum saniora afferre, qui scholasticorum insistent vestigiis, ANTON. BERNALDI DE QVIROS, e soc. Iesu, *opus philos.* (i), & quae ex recentissimi scriptoris, BENEDICTI SCHMIERII, *dialectica*, uti vocat, *regulara*, affert HEVMANNVS (k). Nec dubito, luculenta huius rei specimina se oblatura quoque esse in nuper editis IO. FACCIOLATI, *analytic. poster. in gymnaf. Patauino interpretis, logicae disciplinae rudimentis, ex oprimis fontibus ductis*, quae prodierunt a. 1728, ut & in eiusdem *institutionibus scholae peripatericae, in usum scholae ipsius privatae, Veneriis a. 1729* editis. Ex quibus temporum antiquiorum, atque ab aetate nostra remotiorum, colligi sordes atque ineptiae poterunt.

§. VI.

Neque minus, quae post reformationem inter nostrates floruit, aristotelica.

NEque multo tamen melior philosophiae fuit facies, ubi post reformationem, a Luthero coeptam, scholasticorum repudiatis nugis & inquinamentis, dulcius se ex ipso fonte hausturos nostrates censuerunt, ideoque ad ipsum Aristotelem, tanquam vnicum purissimumque philosophiae fontem, se receperunt, illumque sibi ducem & imperatorem in philosophiae studio selegunt.

(h) in *tr. de doctoribus scholast. & corrupta per eos rerum diuinarum humanarumque scientia*, qui primum Gessae 1668 in 4 prodit, Tene vero a. 1719 cum praefat. celeb. HEVMANNI recusus est. (i) quod opus in *fol. prodit Lugduni a. 1666* (k) in *act. philos. tom. 1. p. 290sq.*

runt (1). Etenim quam confusum, qui ita senserunt, de philosophia, pro praesenti ipsius consideratione accepta, conceptum habuerint, vel ex eo ipso satis est manifestum, quod Aristotelem pro vniuersae philosophiae quasi promo quodam condo, ipsiusque scripta philosophica pro sufficientissima, ditissimaque, rerum philosophicarum penu, habebant, ad quam, veluti ad sacram quandam anchoram, tuto confugere necesse modo esset, indeque omne in philosophia auxilium & petere, & expectare, liceret. Etsi Aristoteles enim magni omnino nominis, neque minoris ingenii, fuerit philosophus, insignia etiam ipsius in philosophiam omnem vti que extent merita, dudumque ad longe sublimius fastigium euecta studia philosophica fuissent, si ipsius modo sectatores magis exemplo eius, ad paria tentanda, similesque faciendos progressus, se excitari, quam autoritate eius occoecari, atque in studio veritatis proprio impediri, fuissent passi; multa tamen adhuc aliis inuenienda reliquit, tantumque modo in hoc eruditionis genere profecit, quantum proficere per temporum illorum statum, inuenta que tum temporis veritatis eruendae subsidia & adminicula, potuit. Quod quum attendere ipsius sectatores debuissent, coeco eius amore abrepti ultra Aristotelem sapere vel velle, vel posse, rem piaculo non absimilem plerumque iudicarunt, indeque in sola ipsius autoritate acquieuerunt. Quoniam eiusmodi ergo de Aristotele opinionibus obfiti plerorumque animi erant; in eo etiam praecipuus illorum, qui operam philosophiae nauabant, consistebat labor, vt varia solum, pro discantium captu, ex Aristotele conficerent compendia, in iisque, quae sparsim tradita ab Aristotele erant, in meliorem, atque ad iustae regulas methodi propius acceden-

B 2

(1) Alii quidem, quoniam omnino sibi duce quodam atque principe in philosophia opus esse censebant, ad alias graecorum recurrebant sectas, vnde nonnulli *Platonicam*, alii *Pythagoream*, *Stoicam* alii, aliique iterum *Epicuream*, aut aliam quandam sectam, revocabant, de quo vid. ccl. STOLLE in *der Hist. der Gel. part. 2 cap. 1 §. LXXX sq.* Illorum tamen, qui Aristotelem secuti sunt, semper multitudo praeualuit.

dentem ordinem, redigerent. Non melius enim satis suo se posse muneri facere, plerique credebant, quam si & ipsi vires suas in condendo nouo quodam ex Aristotele compendio periclitarentur, illisque, quae dicta ab Aristotele erant, lucem aliquam copiosorem affunderent, quo sic de sensu verborum Aristotelicorum eo rectius constaret. Atque in hoc ipso omnis etiam eorum subsistebat labor. De ipsis autem amplificandis, & ornandis disciplinis philosophicis, vix, ac ne vix quidem, cogitabant, sed hic iam Aristotelem ipsum omne tulisse punctum, hisque uel addi plane nihil posse, vel, si adhuc possit, non opus saltem esse, persuasum ipsis erat. Quod quidem praecudicium adeo vulgare & superiori adhuc, & ipso reformationis seculo, fuit, ut *communis* ille, qui plerumque vocatur, *Germaniae praeceptor*, in ipsa *A. C.* apologia scribere non vereretur: *Aristoteles de moribus ciuilibus adeo scripsit erudite*, NIHIL UT DE HIS REQUIRENDUM SIT AMPLIUS (m). Quid ergo mirum, si omnes, qui vel umbram MELANCHTHONIS venerabantur, paria cum praecceptore suo de Aristotele senserint, haecque adeo de aristotelica philosophia opinio, tanta autoritate suffulta, altas etiam in plerorumque nostratium animis radices egerit, quum tantum non omnes illorum vel immediate, vel mediate saltem, ex schola Melanchthonis prodierint? quid mirum quoque, quod eo tandem insaniae nonnullorum progressa sit stupiditas, ut nonnullis in locis iurare nouelli philosophiae magistri in verba Aristotelis coacti fuerint?

*Excidat illa dies aeuo, nec postera credant
Secula. Nos cerre taceamus, & obruta multa
Nocte regi propriae pariamur crimina gentis.*

§. VII.

Quorum opera reformari imprimis philosophia coepit.

Q Vis ergo, rebus sic stantibus, negauerit, magna omnino philo-

(m) vid. apolog. Aug. Confess. artic. IV. p. 101 edit. Reineccii. add. tamen FECHTIVS in noct. cristi. p. 988 & OLEARII orologia p. 23 sq.

philosophiam, etiam postquam a scholasticorum nugis & quisquiliis iam repurgata erat, reformatione, vel, si mauis, emendatione & correctione, adhuc indignuisse? Neque enim id tolerari vlllo modo in philosophia potest, vt vnus cuiusdam hominis rota, quanta est, auctoritate nitatur, multo vero minus, vt solius Aristotelis. Quanta enim cunq; is etiam rerum philosophicarum imbutus cognitione fuerit, quae tamen certe admodum tenuis & parca erat; vel a priori tamen demonstrari luculentissime potest, hinc, quod non factu facile possibile sit, vt, quicquid sciri modo in philosophia potest, ita vnus cuiusdam hominis comprehendatur, & quasi terminetur, intellectu, vt nihil possit accedere amplius, hinc vero, quod id in primis in Aristotele fuerit impossibile, quippe qui in ea mundi viuebat aetate, qua, vti antea iam monuimus, ob subsidiorum, &, in philosophia naturali, instrumentorum multorum defectum, nondum eae cognosci veritates poterant, quae postmodum primum detectae sunt. Vnde satis liquet, obicem sibi metipsis in philosophiae studio vltcrius proficiendi, nostros posuisse maiores, quamdiu, unicum secuti Aristotelem, omnem suam, in eius solum interpretandis, aut in ordinem meliorem redigendis, scriptis philosophicis, industriam posuerunt. Illi ergo merito, in hoc rerum statu, reformatorum philosophiae titulo digni sunt, qui aliam, quam quae sola Aristotelis auctoritate niteretur, philosophandi rationem ingrediendam esse, vel praeceptis, vel exemplo etiam suo, docuerunt, eoque ipso, vt magis magisque imminui Aristotelis inter eruditos auctoritas inciperet, in primis effecerunt. Non est vero nobis animus, omnes illos, qui iure quodam suo huc referri merentur, hic recensere, illorumque in philosophiam enarrare merita: id enim & ab instituto nostro alienum est, & nimium dissertationis huius promoueret limites. Dicendum enim alias nobis hoc loco

foret de LAURENTIO VALLA, LVDOVICO VIVE, PE-

TRO RAMO, THOMA CAMPANELLA, FRANCISCO BACONE DE VERVLAMIO, PETRO GASSENDO, RENATO CARTESIO, HVGONE GROTIQ, THOMA HOBBE-SIO, aliisque (n), horumque nouis in philosophia conatibus, siquidem horum imprimis opera effectum est, vt sensim paulatimque philosophi, proprio magis ingenio confisi, de rebus ad philosophiam pertinentibus, ipsi meditari, quam coeco Aristotelem impetu in iisdem sequi, coeperint. Etsi nemo enim ante CARTESIUM eorem plane, ob maxima, quibus occupati hominum animi adhuc erant, praeiudicia, deducere valuit, semperque contra eius antecessorum conatus maxima adhuc pars nixa in contrarium erat; praeparati tamen iam quodammodo, horum ipsorum opera, multorum animi erant, vt faciliores iam Cartesio, ab Aristotele recedenti, praeberent aures, etsi nec, qui acerrime ipsi contradicerent, coelumque & terram contra ipsum mouerent, inter Aristotelicos deessent (o).

§. VIII.

Parum vero aberat, quin, in locum Aristotelicae, noua successisset secta, nempe Cartesianae, nisi nonnullorum ecclesiarum plurimorum opera res aliter cessisset.

Quum peruersus vero ille plerorumque hominum mos sit, vt alienis, quam suis, malint videre oculis, aliisque in veritatis cognitione coecam addicere obedientiam, quam propria industria in eius inquisitione versari, siue illud ex ignauia, siue ex alia quacunq; veniat causa; parum aberat, quin, qui Cartesii imprimis opera Aristotelicum iugum humeris suis feliciter excusserant, nouum sibi, ipsum nempe Cartesianum, paterentur imponi, parique coecitate, qua Aristoteli addicti antea fuerant, iam Cartesii placita amplectari non vererentur; etsi id non magis

(n) de praecipuis horum vid. celeb. STOLLE *Histor. der Gel. part. 2. cap. 1. §. 33. sq. & cap. 2. §. 17. sq.* (o) de hostibus & aduersariis Cartesii vid. Dn. STOLLE *l. c. part. 2. cap. 1. §. 96. p. 411. sq.* de motibus autem, occasione philosophiae Cartesianae in Belgio ortis, FRIDER. SPANHEMIVS, filius, in peculiari *epist. de nouissimis circa res sacras in Belgio dissidiis*, quae extat operum eius tom. 2. p. 942. sq. speciatim p. 957-965.

magis Cartesii culpa contingeret, quam olim illud Aristotelis factum erat. Cito tamen, iustoque adhuc tempore, qui philosophiae operam navabant, coeperunt animadvertere, detru-
 di se eodem, quo olim Aristotelicis id euenerat, modo in tur-
 pem feruitutem, si coeco impetu omnia, propter solam Car-
 tesii auctoritatem, admittere cum Cartesianis pergerent, ideo-
 que Cartesii potius exemplum, laude certe dignissimum, sequi,
 propriasque in inquirenda veritate vires periclitari, coeperunt,
 quo ipso multo potiori, quam coeci Cartesii admiratores, iu-
 re Cartesiani, seu veri genuinique Cartesii discipuli, mereban-
 tur vocari. Exemplum enim solum praeire aliis Cartesius vo-
 luerat, quod strenue imitando in veritatis inquisitione seque-
 rentur, non vero obicem veritatis cognitioni ponere, aliosque,
 ne plus ultra pergerent, prohibere. Satis etiam felici postea
 successu multi, magni nominis & ingenii philosophi, qui pla-
 citis Cartesianis non vbiqve se inhaerere, iisdemque contentos
 esse posse, probe perspiciebant, vterius progressi sunt, recens-
 que a Cartesio inuentis non exigui momenti capita, in omni-
 bus fere philosophiae partibus, adiiecerunt. Atque ab hoc de-
 mum tempore *eclectica philosophandi ratio*, quae vnica & sola ad
 veram philosophiam perueniendi via est, caput efferre, ipsaque
 philosophia singulis fere decenniis magis efflorescere, nouis-
 que augeri accessionibus ita coepit, vt paucioribus fere, ab eo
 tempore, annis, quam, ante illud, seculis, ad summum fere
 perfectionis fastigium euecta sit. Adornandae nobis hic sin-
 gularum disciplinarum essent historiae, siquidem distincte hic,
 quid in singulis ab illo tempore disciplinis praestitum sit, atque
 quorum inprimis opera nouis quibusdam accessionibus caedem
 auctae sint, vellemus exponere, id quod tamen vel pro-
 pterea hic necesse non est, quod, post alios eruditos celeberrim-
 osque viros (p), in compendio id iam alibi a nobis est fa-
 ctum.

(p) fecerunt nempe id qua philosophiam rationalem; seu *logicam*, praeter

ctum (q). Vnde neque iustitiae nostrae ratio patitur, ut de praecipuis illorum, qui superiori non minus, quam hoc ipso, quo vivimus, seculo, philosophorum eclecticorum nomen adepti, suisque in philosophia tentatis emendationibus aliquam nominis celebritatem (iure, an iniuria, id factum sit, iam non disputamus,) consecuti sunt (r), illorumque in philosophiam, vel generatim spectatam, vel qua certas solummodo partes consideratam, meritis, hoc loco agamus. Verendum etiam est, ne, si de multis, quos magno in pretio ab illorum sectatoribus haberi, atque pro magni ab illis nominis philosophis reputari, constat, iudicium forsitan ferendum esset, quod non omnium expectationi & votis responderet, illud forsitan ex invidia, tacitoque quodam liuore, profectum esse videatur.

§. IX.

Recentissime multam ad philosophiae reformationem contulerunt Leibnitijs & Wolffijs. DE illustris tamen LEIBNITII, celeberrimique WOLFFII, in philosophiam meritis, quin pauca hoc loco afferamus, intermittere non possumus. Atque hic illud quidem initio vel ipsis eorumdem aduersariis, si agere ingenue velint, confitendum esse censemus, quod insignem ipsi multis rebus philosophicis lucem, eo ipso, affuderint, quod distinctas de rebus hic occurrentibus, quantum eius quidem fieri potuit, forma-

re

alios celeb. SYRBIUS, REIMMANNVS, WALCHIVS, alii, qua metaphysicam post IAC. THOMASIVM IVNCKERVS, REIMMANNVS, qua physicam PASCHIVS & ex eo celeb. BVDDIVS, qua philosophiam practicam, imprimis Ius Nat. THOMASIVS, LVDOVICI, atque ante hos ipse PVFFENDORFFIVS, quibus qua singulas disciplinas iungendus, immo non paucis praefendus est, celeb. STOLLE in der Histor. der Gelahrth. part. II. & III. (q) in Institutionibus nempe philosoph. imprimis vero in prolegomenis, singulis disciplinis praemisissis, quibus propediem tertius, philosophiam vnderiam practicam complexus, iam accedit. (r) praecipuos illorum recenset Da. STOLLE loc. cit. part. II. cap. 1. §. 33. ff. forentque ex recentioribus nobis imprimis hic recensendi CHRIST. THOMASIVS, & ANDREAS, olim RÜDIGERVS, nunc RIDIGERVS, semper tamen, nomine licet mutato, idem: verum ob causas, iam allegatas, isthaec praeterimus.

re ideas elaborauerint, ideoque & a simplicissimis vbiuis conceptibus, praemissisque definitionibus, in meditationibus suis philosophicis initium fecerint. Haec ipsa enim vera illa, & genuina, *methodus mathematica* est, quam alii non aliter, ac monstrum aliquod biceps fugiunt, atque, ad philosophiam applicare velle, pro re plane impossibili habent; alii vero, tanquam rem mysterii plenam, suspiciunt, atque capi a philosophia posse negant. Felicissimo, putauerim, successu a Leibnitio atque celeb. Wolfio satis ostensum est, quod ad philosophiam applicari methodus demonstrandi, mathematicis familiaris, non solum commode possit, sed & omnino debeat, si ex infinitis, quae in philosophorum scriptis hactenus fere regnarunt, confusionibus feliciter emergere, inanesque in posterum in studio veritatis logomachias velimus deuitare. Quis enim, quaeso, hactenus in condendis compendiis & systematibus philosophicis de eo fuerat sollicitus, vt vbiuis a simplicissimis euidentissimisque inciperet conceptibus, nihilque, nisi accurate definitum, solideque euictum & demonstratum, reliquis praemitteret, atque fundamenti loco sequentibus substerneret? Bone, enim, Deus! quanta rerum in plerisque antiquiorum, immo & recentiorum multorum scriptis, regnat confusio! Sub initium statim systematum de multis disseritur argumentis, multaque ad aliorum adhibentur applicationem, quae neque definita vnquam sunt, neque, si iusto incedi ordine debet, nisi perquam multis aliis praemissis demum, vel explicari, vel intelligi, possunt. Afferruntur nempe sub ipsum statim disciplinae ingressum, quorum iusta explicatio ex medio demum peti debebat systemate, adeoque secundum solam confusam illam, quam vulgus iisdem plerumque iungit, significationem sumuntur. Quid ergo mirum, si in plerumque systematibus & compendiis quadrata etiam plerumque misceantur rotundis, nihilque fere in iisdem occurrat solidi, quodque ad veri nominis demonstrationem quomodo-

C

docum-

dócunq̃ue possit accedere. Huic certe vitio celeberrimi hi duum-
viri, quod, ringente licet invidia, fatendum nobis est, mederi coc-
perunt. Et si illustris enim Leibnitius nunquam meditationes
suas philosophicas integro quodam systemate complexus est; in
eo tamen in variis schediasmatibus, actis eruditorum Lipsien-
sium inprimis insertis, aliisque eiusmodi dissertationibus, po-
tissimum elaboravit, vt omnia ad distinctas reuocaret ideas,
nullasque, nisi accurate definitas, notiones admitteret. Quod
eius exemplum quum strenue postmodum secutus sit celeb. Dn.
WOLFFIUS, effeceritque, vt integrum systema philosophi-
cum, hoc ordine, hacque methodo, elaboratum extaret; v-
terque certe meruit, vt inter praecipuos nostrae aetatis instau-
ratores & reformatores philosophiae iure optimo referantur.
Immo in gloriam gentis nostrae germanicae id nobis hoc loco
confitendum est, quod nemo hactenus inter exterarum natio-
num eruditos de philosophia, hoc ordine pertractanda, vnquam,
quantum constat, cogitauerit, nedum eiusmodi quid ipse per-
fecerit, aut elegantissima hac methodo consignatum integrum
systema nobis exhibuerit. Studiosior enim semper natio no-
stra fuit in philosophia ordinis, magisque de iustis condendis
systematibus, quam vlla alia gens, sollicita, cum plerique alii
nunquam fere cogitationes suas ad plenum aliquod, integrum-
que systema, retulerint; vnde & aequum videbatur, vt haec
ab illustri Leibnitio, celeberrimoque Wolfio, parta gloria gen-
tis etiam germanicae nomini relinqueretur.

§. X.

*Neque ce-
leb. Wolff-
ius, ob con-
trouersias
ipso moras,
hoc titulo
excidit.*

NEque dubito, plerosque inter eruditos haec ipsa cel. Wolf-
ii in philosophiam merita dudum fuisse agnituros, dum
ipse modo, vt ne quid, pace eius, dissimulem, in praedican-
dis illis, paulo fuisset parcior, neque aliorum sibi eo ipso con-
flasset inuidiam. Et si enim persuasissimus sum, non a vana
gloriae

gloriae cupidine, animoque se super alios iactante, altoque eosdem supercilio contemneute, profecta illa omnia esse, quae passim hanc in rem in scriptis Wolffianis leguntur, quippe quae omnia a summa viri, magni omnino faciendi, modestia longe aliena esse noui; videri tamen incautioribus ita aliquando poterat, ipseque non paucos noui, quos nihil magis, quam hoc fere vnicum, a lectione scriptorum viri celeb. reuocauit. Ea nempe est plerorumque hominum de se, suisque ingenii viribus, persuasio, vt, etsi Strabonibus, iure meritoque, annumerari possint, omnes tamen sibi videantur esse Argi, immo Argo oculatioris multo, indeque maxime semper inique ferant, si alios non aeque magnifice de se sentire animaduertant, in illosque omnes, quos ita de se iudicare sentiunt, grauiter inuehantur pariter, omniaque illorum dicta & facta laceissent. His tamen omnibus frustra repugnantibus, & in contrarium nitentibus, sua scriptis Wolffianis laus manebit, quam grata quoque semper agnosceret posteritas. Optandum modo esset, vt omnes viri celeb. aduersarii, eo, quo ipse cogitationes suas proposuit, ordine, scripta eius perlegissent, id quod in eiusmodi scriptis omnino necesse est: sic enim multis eisdem obiectionibus & dubiis superfedere potuissent, mihi quidem est persuasissimum. Non enim, quae in controuersiam vocata sunt, eiusdem omnia momenti sunt. Alia enim ita sunt comparata, vt communi fere omnium, antiquiorum & recentiorum, philosophorum nitantur consensu, approbantibus etiam omnibus in illorum scriptis tradita, atque a nemine vel in controuersiam vocata, vel damnata, sint: vt eo magis propterea mirari oporteat, potuisse ea nostra aetate viris eruditissimis, iisque ex parte philosophis, scrupulum mouere. Talia fere omnia illa sunt, quae ad *argumenta mere metaphysica* pertinent, quo, quicquid de *aeternitate essentiarum, de distinctione essentiae atque existentiae, de pluribus mundis possibilibus, de eo, quod mundus non idem amplius futurus esset, qui*

est, si vel minima aliter in eodem contingerent, quippe quod ex primo illo veritatis principio, quo impossibile esse dicitur, vt idem simul sit, & non sit, immediate & proxime fluit, *de variationis sufficientis principio*, quod idem cum antiquorum metaphysicorum principio *essendi & fiendi esse*, iam alibi obseruauimus (s), aliisque eiusmodi argumentis, non sine aliqua animorum commotione disputatum est, referimus. Alia vero, de quibus tamen longe adhuc acrius disceptatum esse, nouimus, ad *meras hypotheses philosophicas* redeunt, de quibus in vtramque disputari partem potest, ita, vt illae, siue stent, siue cadant, nihil omnino aliis alicuius momenti veritatibus noceant, quo inprimis *harmoniae praestabilirae systema*, illamque, qua aliqua ex parte nititur, *de monadibus & natura spiritus* sententiam, referimus. Magnopere enim mirari subit, quod post tot explicationes & demonstrationes, ipsa meridiana luce clariores, viri eruditi nondum ab illa persuasione se dimoueri passi fuerint, qua, nescio quid periculi, atque religioni morumque doctrinae infesti, ex hac ipsa hypothesi sequi autumant. Alia tandem omnino aliquid in recessu habere videntur, neque tuto posse admitti, quo multa, quae ad illustrandam Leibnitii *de mundo optimo* sententiam in *metaphysica* §. inprimis 1058. sq. & 1061. sq. vir celeb. affert, refero. Verum ea non tam ipsi viro celeb. quam rei potius grauitati, tribuenda erant, quippe quae, omni namque ex parte insuperabilis, philosophos saepe, vel maxime inuitos, ad eiusmodi sententias amplexandas adigit, si illorum legere nolint vestigia, qui eiusmodi difficultatibus, a quibus tamen saepe integrum religionis, morumque doctrinae, systema pender, secure placideque indormiunt. Haec ergo omnia non officient, quo minus viro huic celeb. praecipuum aliquem inter recentiores philosophiae reformatores attribuamus locum, immo ipse

(s) *Institut. philos. prim. §. LXXXIII.*

ipse potius his ipsis, se iure meritoque eundem rueri posse, satis abunde demonstravit.

§. XI.

NEque enim hodie demum, aut nudius etiam tertius, mos ille inter eruditos inualuit, ut, quando noua quaedam, haecenus inaudita, optimo licet fundamento innixa, ab aliis proponuntur, alii illorum, sola rei nouitate commoti, insolitos statim clamores tollant, coelum terramque moueant, atque Deo, omnique religioni, infestum id ipsum esse clamitent. Neque vero id ipsam in eiusmodi solum contingere argumentis solet, quae ad peculiare quorundam auctorum hypotheses pertinent; sed in illis quoque idem obseruare licet, quae communi postea consensu recepta, maximeque proficua & salutaria humani generi deprehensa sunt. Longum possemus hoc loco texere eiusmodi nouorum, maximeque salubrium, inuentorum catalogum, quae non sine acerrima contradictione admissa, magnamque partem pro rebus maxime periculosis sunt habita, & communi tamen postea, ubi coecus ille contradicendi aestus paulatim deferbuit, applausu comprobata. Sed chartae huius id non capit angustia. Quae enim alicuius momenti veritas, recens inuenta, haec fata non experta est? Cogitemus modo illa tempora, quibus, *terrae figuram rotundam tribuere, & antipodes statuerere*, haereticum erat (t), quam tamen simplicitatem hodie vel rustici nostri vident. Recordemur modo motuum illorum, quos GUIL. HARVEI recens proposita de *generatione animalium ex ovo, sanguinisque circulatione*, sententia inter physicorum

C 3

(t) memorabile, & notum satis, hac de re est exemplum VERGILII, *Boiorum episcopi*, qui a ZACHARIA, pontifice romano, seculo VIII. ob hanc ipsam sententiam haereseos damnatus est, uti AVENTINVS, ipse scriptor pontificius, in *annalibus Boiorum* p. 172. edit. Cisperian. nobis memoriae prodidit. Vt illa taceamus, quae ipsi primitiuae ecclesiae patres, LACTANTIUS *instit. diuin. lib. III. cap. 24.* & AVGVSTINVS de *C. D. lib. XVI. cap. 9.* aduersus eandem disputarunt.

ficorum atque medicorum quamplurimos, suo tempore excitauit (u). Vt ne de *terrae* quid adiciamus *motu*, *planetarumque habitazione*, quae olim, hodieque, maximae multis in astronomia & philosophia naturali offensionibus sunt, etsi a praecipuis fere, magnique nominis philosophis, tanquam res, omnem extra controuersiam ponendae, hodie plerumque habeantur. Quanta animi impotentia PUFFENDORFII, de *principiis moralitatis in actionibus humanis*, sententia impugnata olim a multis fuerit, inter omnes constat (x): & hac tamen nostra aetate adeo communi fere, ipsorum etiam theologorum, applausu recepta est, ut opposita ipsi, de *principio moralitatis intrinseco*, quam *moralitatem obiectiuam* appellare vulgo solent, pro impia, maximeque periculosa, in recentissimis controuersis Wolffianis haberi coeperit (y), etsi, si, quid ego sentiam, dicendum est, tota illa controuersia in meras de uocibus disceptationes, seu logomachias, ex male intellectis dissentientium loquendi formulis ortas, desinat, id quod ad oculos in institutionibus I. N., breui a nobis edendis, iam demonstratum est, pluribusque suo tempore, in peculiari hoc de argumento dissertatione, collatis inter se dissentientium locis, demonstrabitur. Quid multis? Omnes nouae veritates, si alicuius momenti fuerint, sub natale suum tempus semper exosae sunt, eoque magis exosae, quo

(u) Magnas inprimis ex illis dabant turbas IAC. PRIMIROSIUS, medicus Londinensis, de quo uideri potest HEVMANNVS in *act. philos. rom. I. p. 620. sq.* ut & AEMILIVS PARISANVS, cum VOPISCO FORTVNATO PLEMPPIO, Itali, de quorum motibus uid. PASCHIVS in *inuent. nou. antiq. c. VI. §. 3. p. 311. sq.* (x) Ipse modo hac de re uid. PUFFENDORFIVS in *apolog. §. 7. 19.* & in *append. ad epist. ad Soberzeuum datam, tum & in specim. controuers. cap. V. tandem & in spicileg. controu. cap. 1. & 11.* quae omnia iam iunctim in *Eride eius Scanaica* extant. (y) quid ea de re recentissime disputatum sit, non opus est hoc loco commemorare. Euoluat modo, qui haec scire discupit, scripta, a celeb. Dn. WALCHIO, pro b. D. BVDDDEO, aduersus Wolffium edita, & quae idem uir celeb. in *lexic. philos.* articulis: *Gesetz, Moralitæt, &c.* scripsit, & satis superque obseruabit, nihil praeter ueritatem hic a nobis dictum esse.

quo plura iisdem, hominum animis, exturbantur praecudicia, atque quo diutius contrarium maximae hominum vulgariū, ipsorumque eruditorum, parti fuit persuasum. Quod ne quem a veritatis indagacione absterreat, animumque eius in bono proposito frangat, paucis nobis hoc loco ostendendum est, vnde hoc ipsum praecipue veniat, quodque, si aliter eueniret, summa id ipsum admiratione potius dignum foret.

§. XII.

EXplorata fatis, atque inter omnes cognita, res est, quod illi, Cuius rei non una affertur ratio. qui eruditorum nomen gerunt, in omnibus fere, quas ad discunt, artibus atque scientiis, certis, in iuuentute sua, erudiantur systematibus, quibus successu temporis ita assuescunt, quaeque ita plerumque in succum & sanguinem conuertunt, vt, quicquid illis responder & conuenit, solum admittant, quicquid vero ab his eorundem systematibus, quae animo in hac vel illa scientia complexi sunt, recedit, id omne vel propterea statim repudient, & auersentur, quod aliquid ipsis inauditi est, atque cum opinionibus, in iuuentute in succum quasi & sanguinem conuersis, conciliari nequit. Nouae etiam eiusmodi veritates non raro ita comparatae sunt, vt per vniuersum alicuius scientiae se diffundant systema, illudque totum disturbent, adeo, vt, admissis illis, totum fere illud emendandum, atque longe alio plane modo, in infinitis fere conclusionibus, construendum sit. Quis vero non aegre ferat, si necessitatem sibi imponi videat, a tot *παραπαράδοις*, sibi que tantopere deamatis, totque annos pro veris habitis, sententiis recedere, illasque tanquam falsas, spurias, omnique fundamento destitutas, deserere & damnare? Quis non inique ferat, si hoc modo se coactum viderit, vt, quum per tantum temporis interuallum iam pro cathedra steterit, doctorumque subsellia ornauerit, hoc modo in discendum iterum detrudatur scabella, atque ob noua isthaec

isthaec inuenta denuo aliquamdiu cogatur discere? Et annon, si nouiter eiusmodi inuenta pro veris agnouerint, eademque sibi admittenda, atque addiscenda esse, concesserint, iustam illam multorum incurrerent suspensionem, necessariam aliquam eruditionis partem ipsos haectenus ignorasse, ideoque nec pro tanti nominis eruditus amplius merere haberi? Periculum saltem erit, ne multum de ipsorum detrahatur laudibus, atque opinione eruditionis, si talia admisserint. Est autem peruersissimus ille plurimorum hominum mos, vt malint, in omni re, non tam esse, quam videri, indeque & perquam multi pluris omnino faciunt, ab aliis pro erudito haberi, quam vere talem esse. Neque etiam desunt, qui quando noui aliquid ab aliis inuentum audiunt, sola ducti inuidia illorum inuentis reluctantur, eo, quod sibi non adeo felicibus esse licuerit, quodque, si iunioribus inprimis eiusmodi quid vidisse contigit, sibi barbatis, atque aetate prouectis, ea non obrigerit felicitas, vt famam, nominisque celebritatem, inde consequerentur, possentque, quod poeta dicit, *volitare per ora virum*. Alios vero id a veritatis agnitione reuocat, quod non raro in illa opinione versantur, fieri non potuisse, si vera essent, quae ab aliis inuenta sunt, quin sibi eadem dudum etiam visa, cognitaque, forte etiam per somnium iam oblata, fuissent, si quidem ipsi non minori, quam alii, iudicii acumine, & ingenii felicitate, sint praediti. Ita sola saepe inuidia, inanisque de nobis persuasio, impedimentum nobis in veritatis cognitione euadunt, quae etiam plerumque efficit, vt, quando res ipsa iam explorato vera, omnique certior exceptione est, vt reluctari illi amplius non liceat, gloriam inuentionis, quae tamen saepe aliquid mere fortuiti, adeoque tum nihil omnino vere gloriosi, est, aliis inuidentes, vniuersam fere circumspectant antiquitatem, inquirantque, annon aliquid nouo huic inuento ibidem deprehendant quomocumque simile, vt adeo rem illam non, nunc demum, aut nudius tertius,

tertius,

tius, inuentam, detectamque, sed per omnem canam remotis-
simamque antiquitatem iam cognitam, atque ab hoc illoue tra-
ditam fuisse, iactare queant. *Non, enim, desunt omni aeuo, qui
inuentorum laudes ab autore recenti in antiquiorem reuiciunt (z).*
Scilicet, vt hi ipsi homines, quum veritati amplius nequeant,
ipsius saltem inuentoribus, quantum in se quidem est, aegre,
sua opinione, faciant. Tandem adhuc alii veritates nouiter
inuentas non satis intelligunt, indeque, vt de se dici, quod
apud MURETVM aliquando in iuuentute me legisse memini,
efficiunt: *quod quis assequi non potest, inuidiose viruperare mauult.*

§. XIII.

Quis rerum intelligens, si haec animo paulisper secum repu-
tauerit, mirari non desinet, quod nouae semper veritates
maxime exosae plerisque sint, immo, qui non miraretur, si,
sic comparato rerum humanarum statu, aliter contingeret?
Neque enim, tot antea adductis (§. XI.), aliisque eiusmodi, e-
xemplis edoctus mundus licet, iam sapere hodie didicit, quin
potius quotidie se eiusmodi adhuc exempla offerunt, vbi, quae
veritati quam maxime consentanea sunt, maximo etiam breui
omnium applausu excipiuntur, aut a magna eruditorum parte
iam excepta approbataque sunt, illorum tamen, quibus noua
adhuc, haecenusque inaudita, videntur, maximum aduersus se
odium concitent, atque pro periculosis, omnique sanae doctri-
nae aduersis, habeantur. Vtinam vero illi, quibus omnia noua,
ob solam nouitatem suam, adeo exosa sunt, memores eius
essent, quod HORATIVS aliquando scribit. Is enim conque-
ritur initio, quod, quando quicquam in antiquioribus aliquan-
do reprehendat, id aliis multis statim mirifice displiceat, ad-
dita ratione:

*Alia tamen
longe ince-
dendum vis
erat.*

D

Vel,

(z) scribit BVRNETIVS in *archaeolog. philosophicis* p. 36a.

*Vel, quia nil rectum, nisi, quod placuit sibi, ducunt,
Vel quia turpe purant, parere minoribus, &, quae
Imberbes didicere, senes perdenda fateri.*

in compendio sic rationes illas enarrans, quas nos latius antea deduximus. Paucis vero interiectis, ita postmodum pergit:

*Quodsi tam graecis nouitas inuisa fuisset,
Quam nobis, quid nunc esset verus? aut quid haberet,
Quod legeret, teneretque, viritum publicus usus (a)?*

Aureum nempe hoc dictum est, quodque omnes nouarum veritatum infensissimi hostes, nimique antiquiorum opinionum admiratores, semper habere ante oculos deberent. Omnia enim, hodie antiqua, olim noua fuerunt, quemadmodum noua successu temporis redduntur antiqua. Quis ergo rem aliquam, recens inuentam, ob nouitatem suam, aut eius etiam inuentores, ob eandem, odio habuerit? Venit mihi hoc loco in mentem recordari eius, quod HENRICVS BULLINGERVS, theologus reformatus, de *functione episcop. lib. XI. cap. XVIII.* scribit. Conqueritur is l.c. de praesenti scholarum sui temporis statu, quodque in illis, praeter ARISTOTELIS quidem organum, & PORPHYRII isagogen, sed pessime latino idiomate red-dita, PETRVS HISPANVS, TARTARETVS BRIGOTVS, SCOTVS, aliique, terque quaterque ineptissimi, Aristotelis interpretes, praelegantur, quodque bis fraudentur, frustrentur & seducantur, optima ingenia, hanc adiiciens rationem: Nam nullus vel ex praeceptoribus, vel ex discipulis, genuinam optimi auctoris, intelligit vero Aristotelem, mentem ex talibus adsequitur commentoribus. Posthaec vero ita statim pergit: *Et quod maiori cum detrimento studiorum coniunctum est, NOVATOR PROTINVS DICITVR, quisquis studia iuuare, & sinceriores Aristotelis expositores, Themistium, Alexandrum, Boëtium, Argyropylum, Stapulensem,*

(a) *Epist. lib. II. epist. 1.*

sem, ac huius ordinis alios viros eruditos, proferre in medium cupit. Discant hoc exemplo, quibus aequè vili constat pretio, viros, veritatis studiosos, *novatorum* nomine traducere, quam inepta iniquaque huius saepe appellationis fiat applicatio, atque istud poetae sibi patiantur in memoriam vocari:

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.

Gratiam certe magis merentur, quam odium, qui multo facpius sudore & labore eo in veritatis cognitione proeucti sunt, vt multorum errorum & praeiudiciorum fontes nobis indicare, tutioremque cognoscendae veritatis viam commendare queant, quin &, si vel maxime lapsi aliquando fuerint, dum rebus modo innouandis non data opera inhient, iisque gloriosam aliquam venari studeant, veniam omnino merentur. Quis enim alias veritati inquirendae vllam amplius nouabit operam, si laborum mercedem nullam aliam, quam odium, contumelias, insectationes, nominaque ad ignominiam & vituperium excoGITATA, apud alios reportauerit? Gratias illis certe habeamus potius, eosdemque ad reformationis, cui inuigilant, opus vltterius promouendum, cohortationibus nostris inuitemus.

§. XIV.

ESt ergo certe, cur illis quoque maximas nosmetipsi hodie *Reformato-* habeamus gratias, quorum operatantum studia philosophi-
ca iam hodie proeucta sunt, vt longe alia iam elegantiorique, *rum enim*
quam vel scholasticorum, vel ipsis succedentium Aristotelico-
rum, aetate, gaudeant, compareantque, facie. Etsi idipsum enim *philoso-*
non vno simul tempore effectum, aut vnus cuiusdam solius *phiae ope-*
ruditioni atque meritis tribuendum est, sed successiuus demum, *ra longe*
atque per partes factis, eruditorum emendationibus atque acces-
sionibus praestitum; factum tamen his ipsis est, vt longe per-
fectiorem iam, planeque nouam, primisque suis natalibus lon-
ge dissimilem, &, quod inprimis nobis hoc loco prae-
perfectiori
eadem ho-
die formae
gaudet,
quod de lo-
gica inpri-
mis ostendi-
tur.

tereundum non est, ipsis graecis plane ignotam, habeamus philosophiam. Etenim, si modo, *ως ἐν συνόψει*, in singulis velimus attendere disciplinis, quid in illis praecipue hodie iam sit praestitum, satis id superque nobis manifestum fiet. Quodsi enim a *logica*, siue *philosophia rationali*, velimus facere initium; certe illum, qui antiquitatis praecudiciis occoecatus non est, aut saltem non praeter ea, quae ex MELANCHTHONIS *erotematibus dialecticis*, aut SCHARFFII *logica*, aut alio eiusmodi compendio Aristotelico, in iuuentute sua didicit, nihil de nostra disciplina vnquam percepit, oportebit fateri, longe aliam, nouamque plane, hanc disciplinam hodie esse, tantisque accessionibus auctam, vt parum fere, aut nihil, cum Aristotelica logica commune habeat. Logica enim Aristotelica, prout a scholasticis atque Aristotelicis olim pertractabatur, nihil erat aliud, quam ars differendi & disputandi de re quauis, *eine bloss Disputir- und Rede-Kunst*, quamobrem etiam *dialecticam* potius, quam *logicam*, Aristotelici illam vocare solebant, siquidem *dialectices* vocabulum, quod a graeco *διαλέγεσθαι*, *differere*, *disputare*, originem suam habet, magis definite determinateque hanc eius naturam atque indolem exprimere ipsis videbatur. Neque vero, qui *logicam* illam appellabant, alio eandem sensu ita vocabant, quam prout *λόγος* vocabulum *sermonem*, vel *orationem*, potius, quam *rationem*, notat, siquidem logicam non tam circa instruenda... rationem, quam orationem, occupari putabant. Quod quidem praecudicium adeo vulgare atque commune omnibus Aristotelico-scholasticis erat, vt huc etiam omnia illa, quae de *termino*, *propositione*, *sylogismo*, *demonstratione*, aliisque, in eadem tradebantur, vnice comparata esse censerent. Et quem alias in finem doctrinam de *locis topicis* in logicam, siue dialecticam suam, vel receperant, vel receptam saltem per tot annos in eadem retinuerant, quam, quod praecipuam illam dogmatum dialecticorum partem esse censerent? quum tamen inter

ter

ter omnes constet, meros nudosque illos *locos communes oratorios* esse, qui varia de re aliqua copiose, & extemporanea quadam promptitudine, differendi argumenta solum suppeditant; unde a recentioribus quoque ex logica hodie iam proscripti, atque ad oratoriae artis compendia amandati sunt. Quae alia etiam ratio erat, quod RAIMVNDVS LVLLIVS, logicam Aristotelico-scholasticam reformaturus, in *artem* suam *cyclognomiam* illam transformaret, aut hanc potius in eius locum substituendam censeret, quam, quod logicam scientiam ad mera dicendi, promteque, de re quacunque obuia, differendi, praecipua pertinere, erat persuasus (b)? Et annon eodem laborabat praecudio novus ille ex seculo XVI. logicæ reformator, PETRVS scilicet RAMVS, de quo iam celeb. Dn. STOLLE annotavit, quod dialecticam suam *artem differendi* definierit, multaque, Stoicorum more, de rhetorum praeceptis dialecticae suae admiscuerit (c)? Neque aliter sensisse videntur inter Aristotelicos ipsos quamplurimi, modo non omnes ea de re distincte sententiam suam expromunt, contenti quippe, si ea modo, quae ab Aristotele tradita erant, in dialectica repeterent, parum vero, quo illa praecipue tenderent, aut quem tandem in finem tradenda eadem essent, non raro solliciti. Hodie vero dialectica illa Aristotelica, post varias philosophorum recentiorum emendationes & augmentationes, in veri tandem nominis logicam, seu *philosophiam rationalem*, hoc est, talem disciplinam, transit,

D 3

(b) vid. de arte LVLLII *cyclognomica* MORHOFFIVS in *polyb. rom. I. lib. 2. cap. 5.* & qui in compendio, in quo illa consistat, dilucide exponit, PASCHIVS in *inuent. nou. antiqu. cap. 2. §. 10. p. 29. sq.* conferri quoque de LVLLIO possunt histor. logic. scriptores, REIMMANNVS, SYRBIVS, WALCHIVS, alii. (c) vid. idem in *der Hist. der Gel. part. 2. cap. 2. §. 20.* addatur de Petro Ramo cel. WALCHIVS in *hist. log. lib. 2. cap. 1. §. 3. p. 61. sq.* & ante eum PASCHIVS loc. cit. *cap. 2. §. 16. p. 54. sq.* Vel ex eo vero hoc ipsum Petri Rami confirmatur praecidium, quod statim in *prima parte* dialecticae suae de *inventione* agit, atque ea ex dialectica Aristotelica, quae ad dicendi artem parum facere putabat, extirpavit.

transiit, quae regulas & cautelas generales exponit, quibus in emendando, atque ab erroribus vel praeservando, vel repurgando, humano intellectu, in veritatis & cognitione, & cum aliis communicatione, opus est. Huc enim omnia tendunt, tendere saltem debent, quae hodie in logica traduntur, aut tradenda sunt, ut adeo mira iam facta sit disciplinae huius commutatio, neque propterea mirari magnopere oporteat, si recentiorum logicorum systemata & compendia ab Aristotelicorum compendiis mirifice, qua rem ipsam, tractandique ordinem & methodum, differre videamus. De eiusmodi enim disciplina, quae intellectum generalibus eiusmodi, & ad omnis omnino veritatis cognitionem necessariis, praeceptis instrueret, atque de eius emendatione, & ab erroribus praeservatione, sollicita esset, ne ipsi quidem praecipui inter graecos philosophi, videntur cogitasse, nisi EPICURI forte *logicam canonicam*, seu canones logicos, quippe qui eiusmodi finem praecipue respicere videntur, huc referre velimus (d). Hanc ipsam vero logicæ reformationem successiuis BACONIS de VERVLAMIO, CARTE-SII, eiusque sequacium, CLAVBERGII, LE GRAND, aliorumque, tum vero, & inprimis, AVTORIS ANONYMI, cui *artem cogitandi*, gallice primum conscriptam, deinde latino idiomate redditam, acceptam ferimus, MALEBRANCHII, LOCKII, TSCHIRNHAVSENII, THOMASII, CLERICI, TITII, GERHARDI, BVDDEI, CROVSAZII, aliorumque, in hanc philosophiae partem meritis & emendationibus inprimis debemus (e).

*Idem de
metaphysi-
ca, seu phi-
los. prima,
ostenditur.*

§. XV.

ATque idem fere de *metaphysica*, quam alii *ontologiam*, alii *philo-*

(d) vid. de *logica Epicuri canonica*, quae GASSENDVS de ea annotavit in *animaduers. in lib. X. Diogen. Laertii* p. 117. sq. ut & in *Syntagn. philos. Epicuri part. I.* & ex hoc, aliisque, in compendio Dn. SYRBIVS in *praefat. philos. rational.* p. 17. sq. (e) conf. quae in *proleg. logic. §. IV. sq.* a nobis dicta sunt. De autoribus vero, hic adductis, vid. celeb. STOLLE in *der Hist. der Gel. part. 2. cap. 2. §. 25. sq.*

philosophiam primam, appellare malunt, nobis iam dicendum est. Et si inter ARISTOTELIS enim scripta omnino *libros* quosdam *metaphysicorum*prehendimus, quos tribuendos ipsi utique esse, tota fere loquitur antiquitas; nec ipse tamen Aristoteles libris hisce, quae sub metaphysicorum nomine in eius iam operibus philosophicis leguntur, titulum istum indidit, nec, quid istis sibi libris voluerit, si illo, quo se iam excipiunt, ordine illos consignauit, ipse forsan satis perspectum habuit. Magnus enim ille mihi erit Apollo, qui ex ipsis Aristotelis metaphysicorum libris clare atque perspicue ostenderit, quid Aristoteles sibi illis voluerit, quidque sibi inprimis pertractandum in iisdem proposuerit, quo ordine non tam singula capita, quam integri modo libri, inter se cohaereant (f), quodque illorum, ex mente Aristotelis, obiectum esse debeat. Adeo namque confusum illud metaphysicorum opus est, ut vix confusius, vel omni adhibita industria, refingi mente, factoque ipso, queat, recteque adeo iam de eodem a viro quodam erudito, annotante celeb. STOLLIO, iudicatum sit, esse illud *monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum* (g). Num studio vero, dataque opera, Aristoteles dogmata, in iisdem proposita, adeo obscure proposuerit, ut ne illa, quae Alexandro M. clarius olim tradiderat, in vulgus hoc modo emanarent, siquidem Alexandro M. de librorum, inprimis metaphysicorum, editione in vulgus, conquerenti, Aristotelem respondisse ferunt: nihil ipsius scientiae a librorum illorum diuulgatione metuendum esse,

(f) Fuerunt tamen, qui aliquam in libris illis Aristotelicis connexionem inuenisse sibi visi sunt, quo referendum SAMVELEM PETITVM esse, *lib. 4. miscell. c. 9. §.* qui illum sequitur, IAC. THOMASIVM in *hist. met. §. 10. p. 71.* iam obseruauit b. BVDDEVS in *isagoge lib. prior. cap. 4. ad §. 28. p. 254.* Argumentum quoque & partitionem illorum nobis exhibere studet PASCHIVS *loc. cit. §. 12. p. 42. sq.* quibus addi possunt, quos celeb. BVDDEVS *l. c.* excitat. MICHAEL PICCARTVS, RENATVS RAPINVS & IACOBVS THOMASIVS, locis ab ipso citatis.
(g) vid. STOLLE *loco cit. part. 2. cap. 2. §. 58.*

esse, siquidem adeo obscure omnia in iisdem propofuerit, vt nemo facile, qui ipsum non audierit, mentem eius assecutus sit; de eo nihil certi affirmare habeo. Hoc vero certum est, neminem facile, quid in libris illis suis Aristoteles tradere in genere intenderit, pro certo esse ostensurum. Vnde iam aliquando in illam coniecturam incidi, libros metaphysicorum Aristotelis forsitan nihil aliud, quam fragmenta quaedam librorum quorundam deperditorum esse, quae vel a THEOPHRASTO ERESIO, Aristotelis in schola successore, vel huius discipulo & successore, NELEO, vel ANDRONICO tandem RHODIO, in cuius manus scripta Aristotelis, e terra iterum effossa, SYLLAE, dictatoris romani, opera peruenerant (h), sine ordine digesta, atque, quoniam de rebus vel supernaturalibus, vel vniuersalibus saltem, atque a rebus physicis abstractis, maximam partem agunt, *metaphysicorum* nomine inscripta fuerint. Cui tamen coniecturae, vt ne quid dissimulem, id inprimis videtur ob stare, quod Aristoteles ipse hos ipsos libros generali quodam, *philosophiae nempe primae, & scientiae de ente*, nomine passim compellat (i), si sub his modo nominibus hos speciatim libros intellectos voluit. Quicquid vero eius rei sit, ipsum certe *metaphysicorum* (male enim, ex neutro plurali graeco, latinum singularis numeri vocabulum, scholasticorum effecit ignorantia) metaphysicorum, inquam, nomen non ab Aristotele ipso profectum est, sed vel a THEOPHRASTO ERESIO, vel recentiore quodam adhuc auctore, ipsis est impostum (k). Quem autem huic voci sensum, quisquis etiam eius auctor est, subiecerit, id affirmari pro certo nullo modo potest.

Meta-

(h) de quibus scriptorum Aristotelicorum fati vid. STRABO *geogr. lib. 13. PLVTARCHA in Sylla, & ex illis PASCHIVS in inuent. nou. antiq. cap. 2. §. 7. p. 19.* (i) vid. v. c. *lib. 4. metaphys. cap. 1. alibique passim add. PICCARTVS in isagoge in lect. Aristotel. cap. 26. §. 7. p. 261. sqq.* (k) conf. quae de nomine metaphysicae obseruat PICCARTVS *loc. cit. p. 259. & 261. sq.*

Metaphysicorum enim nomen vel libros, *post physicam* demum tradendos, vel *res supranaturales* tradentes, notare potest, qua alterutra acceptione certe nominis illius autor scopum & mentem Aristotelis, circa hos libros, exprimere & indicare voluisse videtur.

§. XVI.

ET enim, etsi libri illi Aristotelis metaphysici opus confusissimum, vti iam a nobis est monitum, omnino sunt, neque vilo modo ordinate cohaerent; *Idem continetur argumentum.* duo tamen praecipue in iisdem attendere licet, de quibus prae caeteris Aristoteles in iisdem exponit: *conceptus* nempe quosdam *abstractos de communibus rerum omnium affectionibus*, & doctrinam *de causa rerum omnium prima, primisque rerum visibilium principiis*. Ad haec enim duo omnia, quaecunque in libris istis occurrunt, commode videntur posse reuocari. Non ita tamen de his duobus capitibus bonus agit Aristoteles, vt vnum post alterum demum pertractet, aut, quae ad alterutrum illorum pertinent, separatim, atque ex certis quibusdam principiis, tradat; sed confuse potius nunc de hoc, nunc de illo, agit, & quaedam eo pertinentia, sine vilo obseruato ordine, affert. Atque his tamen non obstantibus, *se de ente, prout ens est*, in libris istis agere, non vno in loco Aristoteles monet, per quod adeo ipsum nihil aliud, quam ens, prout causam aliquam primam, certaque principia, atque affectiones quasdam generales, admitat, videri intelligere, iam alio nobis loco obseruatum est (1). Quoniam vero postea, quum in Arabum & scholasticorum manus libri illi metaphysicorum incidissent, Aristoteles ipsis per *ens, prout ens est*, nihil aliud, quam conceptum entis vniuersalem, prout mentis operatione ab omnibus inferioribus abstrahitur, videbatur intellexisse, quo

E

(1) in *instituit*. nempe *philos. prim. prolegom. §. II. IACOB. THOMASIVS* per ens, prout ens est, *primum entis*, vti vocat, *analogatum*, seu *Deum*, Aristotelem vult intellexisse, de quo vid. eius *origin. histor. philos. §. 17. p. 12. sq.*

deinceps omnia illa, quae de affectionibus rerum omnium communibus passim Aristoteles exposuerat, referebant, praeterea vero iidem quoque obseruabant, de causa rerum omnium prima Aristotelem in iisdem quoque libris hinc inde agere; in duas libros metaphysicorum Aristotelis distribuebant *partes*, quarum *altera* de ente in genere, communibusque eiusdem affectionibus, *altera* vero de Deo & Spiritibus, ipsis agebat, quae tractandi quoque ratio postmodum multis se probauit, nonnullisque etiam nostratium post reformationem placuit (m). Quoniam aliis vero scholasticorum ea inprimis in metaphysica Aristotelis perplacebant, quae de conceptibus entis abstractis, aliisque eo pertinentibus, solum agebant, quippe quae otioso & speculatio illorum ingenio quam maxime erant attemporata; in solis etiam hisce acquiescere, atque metaphysicae ambitum iisdem terminare, incipiebant, vnde metaphysica ab eo tempore vocari coepit, doctrina de ente ingenere, generalioribusque rerum affectionibus, reliqua vero sub theologiae naturalis, vel pneumatologiae quoque nomine, pertractari coeperunt (n). Atque haec metaphysices dispositio plurimis nostratium

(m) Hoc enim modo metaphysicam tractarunt ex nostratibus CHRISTOPH. SCHEIBLERVS in opere metaphys. CASPAR EBELIVS in colleg. suo metaph. IO. PAVL HEBENSTREITIVS in philosoph. prim. ex Anglis huc inprimis spectat HENRICVS MORVS in enchir. suo metaph. ex Gallis du HAMEL. in philos. veteri & nou. tom. 1. lib. 2. inprimis p. 257. Ex recentioribus huc pertinent RÜDIGERVS in philos. pragm. lib. 2. part. 1. artic. 1. cap. 1. §. 2. & artic. 2. p. 60. IO. IAC. SYRBIVS, V. C. in institut. philos. prim. nou. & celest. part. 2. qui nouam quoque metaphysicae partem adiecit, quam architectonicam appellat, in qua de dispositione, praecipuisque omnium disciplinarum philosophicarum fundamentis, exponit, quod ex eo videtur provenisse praecudicio, quod Aristotelici metaphysicam suam reginam omnium scientiarum, quaeque propterea reliquis quoque disciplinis obiecta sua distribueret, esse putabant. Recentissime vero huc pertinet celeb. WOLFFIUS in den vernünftigen Ged. von Gott, der Welt und Seele des Menschen Hal. 1719. primum editis, atque aliquoties im postea recuis. (n) conf. hic IACOB. THOMASIVS in histor. metaphys. §. 26.

tium philosophorum post reformationem arrisit, quod tot ab iisdem, sub hac ipsa forma, condita compendia & systemata metaphysica satis superque loquuntur.

§. X.

ET si Aristoteles vero de eiusmodi disciplina, qualem iam *De eodem*
 ex eius metaphysicorum libris Aristotelico-scholastici ex- *adhuc ar-*
 sculperant, ne per somnium quidem forsan cogitauerat; to- *gumento*
 lerari tamen illa scholasticorum potuisset innouatio, dum ali- *agitur.*
 quid sani modo sobriique hac de re iisdem tradidissent, aut illis
 saltem, quae fundamentum adhuc in re habebant, atque quo-
 rum aliqua omnino erat utilitas, non infinitas nugae ineptias-
 que iunxissent, hisque ipsis vera genuinaque metaphysices do-
 gmata adeo conspurcassent & defoedassent turpiter, ut pro nu-
 garum infinitarum sentina, animique ingenui & erecti erga-
 stulo, merito suo posset haberi. Quapropter, quum b. nostri
 Lutheri opera religio a scholasticorum fordibus repurgari inci-
 peret, satis bene sibi nostrates de metaphysica quoque mereri
 videbantur, si & illam a scholasticorum liberarent nugis, at-
 que, ut propius ad Aristotelicam tractandi rationem accede-
 ret, efficerent (o). Vnde laborare, ab illo tempore, quamplu-
 rimos nostratium in scriptis suis metaphysicis solum videas, ut
 genuinum modo verborum Aristotelis sensum recte vbiuis as-
 sequantur, omniaque ex eius mente tradant, hocque obtento
 sine, se satis officio suo fecisse, erant persuasi. Quid autem
 E 2 meta.

(o) Quamquam ne hoc quidem ipsos obtinuisse, & ipsa illorum systemata ac com-
 pendia, tot scholasticorum nugis adhuc scatentia, satis superque loquun-
 tur, & ex illis simul abunde patet, quae WENCESLAVS SCHIL-
 LINGIVS, stilo licet acriori, aduersus scripta nostratium metaphysica mo-
 nuit, hinc in *consideratione de notitiis naturalibus, vanitatibus metaphysicis op-*
posita, hinc in tractatu, cui titulum fecit: *ecclesiae metaphysicae visitatio, con-*
cionibus metaphysicis nouem exquisitissimis discutiens praecipuos articulos me-
taphysicos, & ad unguem demonstrans, quo iuratae impietatis, vanitatisque de-
ploratae, metaphysici doctores delabantur, ad metaphysicas speculationes myste-
ria coelitus patefacta violentissime detorquendo, ac exigendo metaphysica, qui

metaphysica proprie esse, quidque tradi in eadem ipsa, sigillarim debeat, atque, quibus ex principiis; de eo vero, neminem fere sollicitum fuisse, obseruamus. Atque haec rerum facies diu adhuc, post reformationem, & ad finem fere superioris seculi, omnino perdurauit, quò IACOBVS demum THOMASIVS persuadere eruditis coepit, metaphysicam nihil aliud, quam quoddam *terminorum philosophicorum lexicon*, esse (q), in quo adeo termini philosophici, in reliquis non minus disciplinis, quam ipsa quoque theologia, vsu venientes, explicandi solum veniant, quae quidem persuasio apud omnes postea illos, apud quos Iacobi Thomasi, in lectione quippe Aristotelis versatissimi, aliquid valebat autoritas, altas omnino radices egit (r). Vnde iam facile patet, quare pleraque nostra compendia metaphysica nihil aliud, quam terminorum & distinctionum quarundam explicationes, nonnullasque ex illis formatas regulas metaphysicas, contineant, quae tamen posteriores non raro ita comparatae sunt, vt vel decem distinctionibus, & distinctionum distinctionibus, vix vel genuinus earundem sensus erui, vel veritas quoque illarum asseri & confirmari, possit. Neque vero inter ipsas quoque distinctiones illas desunt, quae ingenium & subtilitates scholasticorum maxime adhuc redolent; pro merisque otiosi animi figmentis merentur reputari, solisque concinne saepius excogitatis, apteque sibire-

prodiit *Magdeb. anno 1616.* ex quo titulo ipsum scriptum, tanquam ex vngue leonem, facile cognoscat. (q) vid. eius *hist. metaph. erotematis* ipsius metaphysicis annexa, §. 16. sq. & §. 73. & add. IO. GOTTL. STOLTZE in *diff. de quaesito de nouo excitato: an metaphysica tantum pro lexico philosophico sit habenda*, Vitemb. 1693. edita. Tale tamen illud Lexicon esse, *loc. cit.* scribit Thomasius, quod in *formam scientiae sic redactum sit, vt principalem disciplinam ipsam mentiri possit.* (r) referre hac iure meritoque possumus tantum non omnes, qui post Iacobum Thomasi compendia metaphysica scripserunt, quo ipse quoque celeb. BVDDEVS pertinet in *elem. philos. instrum. part. 4.* qui nuperrim: quoque eandem sententiam adhuc calculo suo probat in *isagoge sua loc. cit. p. 260.*

bi respondentibus, terminis superbiunt, & multos tamen non aduertentes iisdem haec deluserunt, ut distinctionibus eiusmodi metaphysicis, tanquam magnis inhiantes mysteriis, nil, nisi sonos sensu vacuos, meramque auram, captarint. Unde & multis merito excitatoris ingenii viris maxime exosa haec disciplina fuit, quippe rebus, paedantissimum merum redolentibus, plena, otiosisque propterea solum relinquenda ingenii; etsi multi quoque non raro usum huius disciplinae ab eius abusu non satis discernentes, ipsam illam, cum adhaerentibus ipsi fordibus, damnauerint.

§. XVIII.

Nostrae ergo solum aetati illa referuata erat felicitas, ut huic *Quid metaphysica hodie sit, aut esse sultem debeat, ostenditur.* etiam disciplinae noua aliqua affunderetur lux, nouumque & illa iam habitum, formamque, inducere inciperet: cui tamen ipsi, ut ne quid dissimulemus, scholasticorum illud inuentum, de quo supra modo exposuimus (§. XVI), occasionem primum omnem suppeditauit. Etenim satis diu nobis in hac ipsa disciplina ab inanibus istis distinctionum & notionum, partim Aristotelicarum, partim scholasticarum, sonis, regulisque illis, magnam sui partem miseris, atque axiomatum metaphysicorum nomine indignis, imponi sumus passi, neque mirum erat, quum reliquis disciplinis omnibus iam tanta nostris temporibus lux esset accensa, omniaque in iisdem ad distinctos reuocari conceptus iam dudum coepissent, quod in metaphysica tandem quoque pigere nugarum illarum philosophos coeperit, ipsique tandem animum ad eius quoque emendationem serio applicuerint. Quoniam post diligentiore enim rei contemplationem satis patet, nec vniuersam illam disciplinam ex disciplinarum philosophicarum catalogo, uti multis quidem, antiquioribus & recentioribus, huius disciplinae ofo-

ribus placuit, plane posse expungi (s), nec omnia quoque, quae ab ipsis Aristotelico-scholasticis in eadem hactenus erant tradita, simpliciter repudiari; reuocare recentiorum nonnulli notiones metaphysicas ad fontes & principia sua, eademque fundamentum demonstrandi conclusiones, in aliis disciplinis occurrentes, continere, ostendere coeperunt: quo ipso iam effectum est, vt notiones & veritates metaphysicae iam non amplius vt nudaе notiones & termini, ad aliorum intelligenda modo scripta memoriae solum mandandi, aut ad sermonis quoque compendium tantum ediscendi, sed vt principia, conclusionum plurimarum foecundissima, primaque omnis nostrae cognitionis fundamenta, spectentur, pro quibus etiam, si dicendum quod res est, haberi omnino merentur. Neminem vero nouimus alium, cui hanc insignem, huius quidem philosophiae partis, emendationem potiori iure tribuamus, quam illustri **LEIBNITIO**, & celeb. **WOLFFIO**. Ille enim, variis in schediasmatibus, praesentissimum veritatum metaphysicarum, in variis demonstrandis conclusionibus, vsum non luculenter solum satis commonstrauit, sed, illa etiam simul, aliaque data quacunque occasione, multas veritates metaphysicas dilucide simul explicauit & emendauit (t). Hic vero, postquam luculentissimum opus suum metaphysicum germanice edidit, quanti momenti conclusiones & veritates a principiis metaphysicis pendeant,

(s) Magnum quidem illorum hic possemus dare catalogum; quoniam obscurius tamen plerique hac de re loquuntur, vt non satis pateat, num scholasticam modo illam metaphysicam damnent, an totam vero hanc disciplinam ex philosophia proscriptam velint, ab illorum iam adducendis nominibus, ne cui videamur inferre iniuriam, hoc loco nos abstinemus. (t) Praeprimis vero huc eius commentario de *primae philosophiae emendatione* pertinet, ex qua in compendio mentem eius nobis repraesentat **PASCHIVS** in *inuent. nou. antiq.* cap. 2. §. 15. p. 49. sq. In hac enim id inprimis operam dat illustris vir, vt ad mathematicam certitudinem metaphysicam perducere doceat, atque, quod principia concludendi in aliis disciplinis fieri notiones metaphysicae debeant, ostendat.

deant, partim in ipso nexu huius disciplinae systematico, partim quoque in illius ad reliquas disciplinas philosophicas facta applicatione, satis abunde ostendit, simulque notiones metaphysicas ita explicuit, vt foecundissima plurimarum conclusionum fierent principia: quanquam non omnia, quae huc referri posse videbantur, opere isto complexus fuerit. Quoniam ipsi vero celeb. Wolffii aduersarii passim, in scriptis suis eristicis, aduersus principia metaphysica impeggerunt, indeque in haud leues errores prolapsi sunt; vel suo iidem exemplo, quantum in sanae sobriaeque metaphysicae principiis, eorundemque iusta ad alias scientias applicatione, situm momenti sit, satis docuerunt. Vnde, si vel maxime vel philosophiae, vel controuersiae etiam, Wolffianae nihil omnino deberemus, cui vtrique tamen multum omnino debemus; hoc certe iam satis esset, quod magni mereretur fieri, quod manifestum iam iisdem factum est, quantum omnis nostrae cognitionis, omnisque veritatis, intersit, vt ex distinctis principiis metaphysicis fluat, atque ex iisdem solide possit demonstrari.

§. XIX.

Mirari vero certe subit, quod, quum infinitis fere philosophia scateat, & tantum non laboret, conclusionibus, quales quidem in omnibus disciplinis philosophicis magno numero occurrunt, destituta tamen illa hactenus eiusmodi disciplina fuerit, quae principia atque fundamenta omnium illarum conclusionum prima traderet. Neque enim metaphysicam vel Aristotelico-scholasticorum, vel recentiorum quoque Aristotelicorum, pro tali haberi disciplina posse, & res ipsa satis loquitur, & ex illis, quae modo de eadem diximus, satis manifestum est. Non constat quoque, fuisse inter illos, qui philosophiam variis modis reformare aggressi sunt, qui de tali disciplina cogitauerint, nisi, quae **CARTESIVS** in suis *de philosophia prima*

Atque eiusmodi scientia philosophia hactenus caruit.

*prima meditationibus attulit, huc referre velimus, quae tamen potiori iure ad logicam, quam illam, de qua nobis hic sermo est, disciplinam pertinent. De magno tamen illo Angliae cancellario, magnoque simul scientiarum instauratore, BACONE DE VERVLAMIO, dissimulare illud nobis non licet, quod is iam eiusmodi disciplinam, qualem iam metaphysicam esse volumus, animo complexus sit. Etenim vbi de vniuersae philosophiae partitione in libris suis de *augmentis scientiarum* exponit, statim post sententiam suam, breuibus ea de re propositam, hunc in modum pergit: (digna enim verba eius sunt, quae hic legantur, etsi paulo prolixiora sunt.) *Quoniam autem partitiones, inquit, scientiarum non sunt lineis diuersis similes, quae coeunt ad vnum angulum, sed potius ramis arborum, qui coniunguntur in vno trunco, (qui etiam truncus ad spatium nonnullum integer est & continuus, antequam se partiatur in ramos;) idcirco postulare res, vt priusquam prioris partitionis membra persequamur, constituatur vna SCIENTIA VNIVERSALIS, quae sit mater reliquarum, & habeatur in progressu doctrinarum, tanquam portio viae communis, antequam viae se separent, & disiungant. Hanc scientiam philosophiae primae, siue etiam sapientiae, nomine insignimus. Huic autem scientiae nulla alia opponitur; cum ab aliis scientiis potius limitibus, intra quos continetur, quam rebus & subiecto, (obiecto forsitan dicere voluit) differat, fastigia scilicet rerum tantummodo tractans. Hanc ipsam, pergit, vtrum inter desiderato reponere oporteat, haesito. Sed arbitror tamen, poni debere. Equidem inuenio farraginem quandam, & massam inconditam doctrinae, ex rheologia naturali, ex logica, ex partibus quibusdam physicae, veluti de principiis, & de anima, compositam, & congestam, & sublimitate quadam sermonis hominum, qui seipos admirari amant, tanquam in vertice scientiarum collocatam, quibus verbis, omni procul dubio, scholasticorum metaphysicam pungit. Nos vero, adiicit, misso fastu, id tantum volumus, vt designetur aliqua scien-**

Scientia, quae sit RECEPTACVLVM AXIOMATVM, QVAE PARTICVLARIVM SCIENTIARVM NON SINT PROPRIA, SED PLVRIBVS EARVM IN COMMVNE COMPETANT (u). Elegantiſſima certe viri, maxime ingenioli, cogitata haec ſunt, mirarique oportet, quare non dudum, poſt eius tempora, philoſophi Ariſtotelicorum metaphyſicam, miſſis nugis & ineptiis omnibus, in eiſmodi diſciplinam, ſeu philoſophiam primam, qualem idem ille hic deſiderat, transformauerint, ſed haec demum rerum mutatio noſtris temporibus relicta fuerit.

§. XX.

Longe ergo alia, planeque noua, nobis iam hodie metaphyſica diſciplina eſt, talis nempe, quae non *terminos* quosdam *philoſophicos* ſolum, tanquam aliquod ſcribendi, loquendi & diſcendi compendium, atque diſtinctiones quasdam ſcholasticas, ſine omni ordine iuſto congeſtas, cumulatasque, atque per certa quaedam capita ſolum diſpoſitas (x), aut eiſmodi alia, tantummodo tradat; ſed quae *prima* omnis humanae eruditionis *principia*, omniumque *concluſionum* philoſophicarum *fundamenta*, doceat, eademque ex *primis, ſimpliciſſimis*, euidentiffimisque *concepiſibus*, ita deducat, vt ſequentia ex antecedentibus fluant, perpetuoque cum illis nexu cohaereant; vnico verbo, quae *geometria* quaſi quaedam *philoſophica* ſit, atque vt *geometria* omnium concluſionum mathematicarum, ſic haec omnium philoſophicarum, immo ad quacunque eruditionis partes pertinentium,

Plane noua ergo hodie metaphyſica diſciplina eſt.

F

um,

(u) vid. eius libri *de augm. ſcientiar. lib. 3. cap. 1.* ſtatim ſub initium, p. 180. *edit. Amſtelod. a. 1662. 12.* (x) Contenti enim haecenus metaphyſici fuerunt, vt eodem, quo ab aliis id factum eſſe obſeruabant, modo, certa quaedam ſolum conſtituerent capita, de *uno, vero, bono, de finito & infinito, principio & principio, ſigno & ſignato, dependente & independente &c.* in iuſdemque certum quendam notionum & diſtinctionum metaphyſicarum cumulum, tanquam ſub *generalibus* quibusdam *lexici* cuiusdam terminologici *articulis*, modo explicarent; quodnam autem eſſet fundamentum, quare haec in metaphyſica conſtituerentur capita, aut quare hoc illoue ordine ſe exciperent, & quae eiſmodi alia ſunt, de eo plane non erant ſoliciti, id quod ipſa ocularis illorum ſcriptorum inſpectio fatiſ confirmat.

um, primam sufficientissimamque rationem contineat. Atque talem quidem metaphysicam in institutionibus quoque nostris philosophicis dare annisi sumus, ideoque &, a simplicissimis conceptibus inchoantes, ad conclusiones magis magisque remotas sumus progressi, nihilque facile in sequentibus, nisi quod intelligi iam ex antecedentibus posset, posuimus. Num scopo vero huic satis omnino a nobis factum sit, de eo penes alios esto iudicium, ipsique etiam nos, in iterata harum institutionum editione, non pauca hinc supplebimus, atque ad plenioris systematis faciem adornabimus, hinc emendabimus quoque, pluribusque illustrabimus, quo sic scopum nobis propositum magis magisque assequamur. Idem vero & celeb. WOLFFIO, in *Ontologia, scientifice pertractata*, latino idiomate ab ipso nuper in forma quarta edita, fuit propositum, qui multis propterea in locis demonstrat, ipsa geometrica atque algebraica principia adhuc ex principiis metaphysicis demonstrari hinc posse, hinc debere. Atque hoc modo comparata metaphysica commode *philosophia prima* dicitur, non eo quidem, quo Aristoteles hoc nomine usus fuisse videtur sensu, quippe cui ita solum vocabatur, quod de *elementis & principiis rerum primis, primaque rerum omnium causa*, ibidem agebat; sed prout philosophia prima illam denotat scientiam, quae prima omnium conclusionum fundamenta & principia tradit; quo sensu illud nomen etiam a VERVLAMIO acceptum esse, ex supra adductis ipsius verbis satis constat: quo sensu vero quoque philosophia aliqua prima & ipsi Aristoteli, & omnibus graecorum philosophis, plane fuit incognita.

§. XXI.

Quae omnibus, ad solidam eruditionem aspirantibus, scitu necessaria, etsi circa subtri-

Opus autem tali disciplina in philosophia omnino esse, atque insigni eandem, ob eiusdem absentiam, defectu hactenus laborasse, extra omnem videtur esse positum: controuersiam. Infinitae enim hactenus inde ortae confusiones & logomachiae, hinc

hinc in philosophia ipsa, hinc in aliis quoque scientiis, sunt, quod prima omnium veritatum principia non distincte, suoque ordine, tradita, legitimoque modo demonstrata fuerunt, uti id plurimis confirmari exemplis, siquidem id necesse esset, posset. Huius ipsius etiam disciplinae defectus causa haecenus fuit, quare plerique illorum, qui ordinem, in tractandis studiis seruandum, iuuenibus commendarunt, quo distinctis iidem conceptibus assuescere statim ab initio discerent, ante omnia, eosdem praeceptis geometricis rite imbuendos esse, suaserint (y), cui tamen instituto ab aliis, variis de causis, contradici acriter solet. Scilicet id probe intelligebant, qui eiusmodi consilia dabant, maximum omnis cognitionis & eruditionis humanae praesidium in claris distinctisque ideis esse positum, ideoque, quoniam in vulgari Aristotelicorum & logica, & metaphysica, nihil, quod huc faceret, obseruabant, mathematicos vero, contra, eo in praeceptis geometricis potissimum eniti, inter omnes constabat; non melius consuli tironibus posse censebant, quam si ab his quidem studiorum suorum initium caperent, quo sic saltem ad imitationem rerum, in geometria propositarum, vbiuis, in omnibus reliquis scientiis, de ideis claris distinctisque, sub initium statim, solliciti esse discerent. Huic autem fini iam longe melius nostra philosophia prima prospicit, quippe quae etiam notionum, hic occurrentium, vniuersalitate longe ampliore, quam omnia praecepta geometrica, usum praestat, ut adeo haec omnibus, ad solidam, in quacunque facultate, eruditionem aspirantibus, ut primo omnino loco ab illis pertractetur, mereatur commendari (z). Neque enim a necessaria huius

*liora non-
nunquam
occupata
est.*

F 2

discipli-

(y) Memini, me saepius id legisse apud MORHOFFIVM *polyb. tom. I.* ut & apud alios, qui data opera de ratione tractandi literas exposuerunt, tum & apud MARESIVM in *epistolis philologicis*, aliosque; non necesse aurem videtur esse, ut loca illa hic prolixius indicemus. (z) Quoniam metaphysica enim non lexicon amplius terminorum philosophicorum, sed solidior longe, aliaque plane, iam scientia est; per se quoque iam vulgare illud praedictum corrui, quod metaphysica illis solum, qui *theologiae* operam na-

disciplinae pertractatione quemquam debet abstrere, quod paulo subtiliora nonnunquam tradit, ut a metaphysicae Aristotelico - scholasticae pertractatione id olim multos absterruit. Non enim omnis conceptuum subtilitas simul inanis statim, atque inutilis, est, uti illis quidem videtur esse persuasum, qui rem aliquam vel solo illo titulo damnare non raro solent, quod aliquid subtilitatis contineat, *es lauffe auf eine Subtilitatz hinaus*, quippe qui in solo confuso, quem sibi de subtilitate formarunt, acquiescentes conceptu, vere, quid damnent, ignorant. Subtilitates enim metaphysicae, quae non citra omne fundamentum effictae sunt, quin fundamentum potius in re habent, minimis subtilissimisque rotularum, in horologiis, dentibus mihi videntur esse non absimiles, in quibus si vel minimum peccatum fuerit, maxime statim sensibiles se in toto composito produnt defectus, iique eo sensibiliores saepe, maximeque notabiles, quo subtilior pars illa est, in qua vitium aliquod haeret. Annon vero manifesto foret absonus artifex, qui, in constructione horologii, de partis eiusmodi minoris, multum omnino ordinatissimum totius horologii motum vel promouentis, vel turbantis, vitio admonitus, respondere vellet: *es lauffe auf eine Subtilitatz hinaus*, quum ex subtilitatis illius neglectu maxime palpabiles tandem in machina illa oriantur errores? Idem ergo & de illis, qui subtilitates omnes metaphysicas damnant, esto iudicium, quippe qui plerumque satis suo exemplo docent, quantum confusionis & tenebrarum in illorum scriptis, qui subtilitatum illarum negligentes fuerunt, regnet, quantumque illud in aliorum saepius animis confusionis pariat (a).

§. XXII.

uant, addiscenda sit, atque necessitas quoque illa, compendia metaphysica ad theologiam statim applicandi, quippe sine quo multis nulla bonae notae metaphysica esse posse videtur, per se expirat. (a) Ratio huius rei facile potest intelligi. Subtilitates enim metaphysicae ibi solum locum habent, ubi maxime abstracti, indeque & *uniuersalissimi*, conceptus obrinent, adeoque & eo latius errores, in illis admissi, se diffundant, necesse est, quo latius conceptus illi patent, quod per plurimas saepe scientias, integraque illorum

§. XXII.

In finitis fere id demonstrari posset exemplis, quanti momenti *Magni nempe saepe momenti* conclusiones, in diuersis disciplinis, atque eruditionis nostrae *veritates a subtilitate aliqua* partibus, saepius a subtilitate aliqua metaphysica pendeant, qua *pendent metaphysica.* obseruata, ex omnibus facile emergatur difficultatibus, neglecta vero, infinitis fere erroribus pandatur via. Sed non licet nobis hic latissimum illum campum ingredi. Ut vnum tamen modo, alterumue, speciminis loco, afferamus exemplum, quis putaret, a subtilitate illa metaphysica, qua in ente aliquo *essentiam* eius ab *existentia*, & vice versa, abstrahimus (*metaph. §. XII.*), atque *essentiam* cuiuscunque rei, ita spectatam, *aeternam eidem* esse, suo loco iam ostendimus (*ibid. §. XXI.*), omne illud pendere, quicquid in recentissimis controuersis, celeb. WOLFFIO motis, de *identitate mundi, de mutatione mundi per quodcunque miraculum, de miraculis restitutionis,* aliisque eiusmodi, acerrime, & non sine grauibus celeb. Wolffii accusationibus, ipsique factis imputationibus, disputata sunt, quibus adeo omnibus supersedere aduersarii ipsius potuissent, si subtilitatibus illis metaphysicis magis fuissent assueti? Quis cogitaret porro, a subtilitate illa metaphysica, qua *essentiae rerum,* ab existentis illarum abstractae, *si in relatione ad Deum* considerandae sint, *non a voluntate, sed intellectu diuino* solum, pendere dicuntur, (si modo vel hoc ipsum, proprie & accurate loquendo, dici potest,) cuius rei rationem suo tempore iam explicuimus (*metaph. §. XXII.*), totam illam, tantis animorum motibus agitatum, controuersiam, de *intrinseca actionum bonitate,* quam *moralitatem obiectiuam* appellare nonnulli solent, pendere? Notum enim satis est, inter alia quoque, in hac ipsa controuersia, disquiri solere: *num dentur actiones, antecedenter ad diuinam voluntatem, bonae vel malae?* quod quando de bonitate vel prauitate actionum non *moralis,* sed *physica,*

F 3

intelli-

systemata, se extendit. Hic enim demum verum illud perunlgatum est, quod, vno admisso absurdo, sequantur infinita alia.

intelligitur, idem est, ac si quaeretur: num actionum bonitas & prauitas physica, si in relatione ad Deum spectetur, ab intellectu solum, an a voluntate diuina, pendeat? adeoque proxima haec, subtilitatis illius metaphysicae, ad quaestionem moralem, magni utique ponderis, solum est applicatio (b). Quid ergo mirum, si illi, qui subtilitatibus illis metaphysicis probe subacti non sunt, mille hic confusiones pariant, ex quibus nemo se facile extricauerit, nisi qui prima totius illius controuersiae fundamenta rite intellexerit. Idem vero & de quaestione illa: *num ius naturae immutabile sit, an vero minus?* sentiendum est, quippe cuius distincta solutio, maximam partem, ex iisdem principiis, non immediate quidem & proxime, mediate tamen & remote, petenda est, uti suo tempore pluribus in institut. I. N. a nobis demonstrabitur. Et, quis quaeso de ipsa *iustitia* & *sanctitate* diuina distinctum sibi formare conceptum poterit, nisi eadem illa, hactenus adducta, probe perfecta habuerit, ipsamque simul, de bonitate & perfectione metaphysica, doctrinam, quae ex iisdem principiis fluit, rite intellexerit, uti in theologiae naturalis institutionibus id ipsum nobis iam obseruatum est (§. CLXX. *sqq.*). Tacemus infinita exempla alia, de quibus, quum id non aeque breuibus, & in compendio, demonstrari queat: metuendum enim est, ne ipsa nimia breuitas obscuritatem pariat; tacere potius, quam pauca obscuriora in medium asferre, volumus.

§. XXIII.

Obstat modo huic discipline commune cum metaphysica Aristotelico-scholastica nomen,

A Beant nunc, quibus subtilitates metaphysicae, ob ignorantiam ipsorum, tantopere exosae sunt, negentue, si possunt, amplius, esse illarum aliquem, in alicuius momenti scientiis, usum, aut, si negare pergunt, suaque in sententia persistunt, suo iidem exemplo

(b) De bonitate enim, vel prauitate, *moralis*, quam proprie *moralitatem* alicuius actionis dicimus, quamque alii *moralitatem obiectiuam* perperam uocant, quin illa a voluntate diuina oriatur, nemo est, qui dubitet.

emplo alios doceant, quantum illis, qui praeceptorum metaphysicorum, etiam subtiliorum, negligentes sunt, ad solidam, distinctamque, rerum cognitionem adhuc desit. Illi enim solidam *solida* potest tribui cognitio, qui conclusiones omnes ad prima su^a principia & fundamenta reuocare didicit: quid enim solidi sine *fundamento* est? Is vero *distincta* solum gaudere dici potest cognitione, qui *conceptus* quoscunque *compositos* in *singulos* eosdem ingredientes, & quasi componentes, *simplices*, imo *simplicissimos*, resolvere didicit. Quis vero utrobique quicquam, nisi primis, vniuersalissimisque, conceptibus metaphysicis probe imbutus fuerit, facile proficiet? Non ergo subtilitates metaphysicae damnandae, quin potius solite excutiendae, omnibusque intellectu faciliores reddendae, sunt, quo his rite praeparatus intellectus eo citius integrum veritatum, arcte inter se cohaerentium, nexum perspicere, solidumque de iisdem iudicium ferre, discat (c). Tantum enim solum, in distincta rerum omnium cognitione, sperare inter eruditos incrementorum licet, quantum, qui litteris operam nauant, nullo, vel status & conditionis, vel scopi studiorum atque finis, vel ita dictae etiam, quam quisque sibi elegit, facultatis, obseruato discrimine, plus temporis, quam fieri quidem haecenus, ob commune de nostra disciplina praeeudicium solet, tribuere eidem coeperint. Haecenus enim de multis quoque eruditorum valet, quod de vniuerso alias, hominibusque ex infima plebis fece, dici solum solet, quod nempe regantur opinionibus. Et si satis enim copiose haecenus de logica & metaphysica a nobis demonstratum est, quod illae, successu temporis, post varias mutationes & emendationes, in tales iam disciplinas transformatae sint, quae graecis

(c) Omnia enim nostra *ratiocinia*, quae nihil aliud, quam *iudicia mediata* sunt, in idearum cohaesione & subordinatione, quae tamen citra abstractiones, sibi institutas, intelligi nequeunt, vnicum suum fundamentum habere, iam suo loco a nobis obseruatum est (*log. §. LXXXI. sq.*). Immo, omnem mentis perpicaciam, & acumen iudicii, inde pendere, ibidem simul annotauimus (*loc. cit. §. LXXXVI.*).

cis ipsis plane ignorae fuerint; quoniam hae ipsae tamen emendationes & mutationes non vno tempore, & simul, sed successiue demum, & per partes, factae sunt, ita, vt alio tempore haec, alio alia demum pars, in his disciplinis vel expuncta & emendata, vel in priorum locum substituta, atque nouiter demum inuenta, reliquisque addita, fuerit; factum inde est, vt, etsi hoc modo plane nouae tandem disciplinae exinde ortae fuerint, nomen tamen suum antiquum eadem retinuerint, atque pariter, ac olim, *logica* & *metaphysica* dicta fuerint, etsi, ita mutatae, nihil minus amplius, quam *logica* & *metaphysica*, sensu vulgari & Aristotelico accepta, dici possent. Nomen ergo nobis cum Aristotelico-scholasticis in his disciplinis adhuc commune est, minime vero idem nominis sensus: plane vt palatium, pluribus constans aedificiis, si horum vnum post alterum, successiue, emendetur, nouiterque extruatur, antiquum quidem, totum licet immutatum, nomen suum retinet, longe tamen splendidiora, magisque magnifica, sub illo ipso nomine aedificia nobis sistit & offert. Maximum vero id ipsum apud illos, qui omnia nominibus metiuntur & aestimant, nostris disciplinis creat praedudicium, vt, quando de *logica* & *metaphysica* quicquam inaudiunt, statim his vocabulis vim atque significatum illum subiciant, qui Aristotelicorum temporibus ipsis erat proprius, eoque ipso ab earundem pertractatione, satis imprudenter, se patientur absterreri. Vnde, etsi nulla quidem, citra necessitatem, noua sunt fingenda nomina; hic tamen, vbi nomina maximo, in veritatis cognitione, impedimento sunt, in *logicae* atque *metaphysicae* appellationes, *philosophiae rationalis* & *primae* vocabula, substituenda esse censemus. Vti multi enim non tantum, ad auditum *philosophiae rationalis*, quam *logices*, nomen, fastidium concipiunt; sic futurum etiam speramus, vt *philosophiae primae* nomen patientius multo, quam *metaphysicae*, audiant, atque *philosophiae primae* operam illam non denegent, quam *metaphysicae* hactenus denegarunt. Regiturenima mundus

mundus praediciis; dandum ergo, ubi veritari ipsi non officitur, ipsis aliquid est, quo sic eo facilius, quae huius cognitioni officiant, remoueantur

§. XXIV.

Praeter opinionem quidem, prolixius de philosophia rationali, & prima, atque vtriusque reformatione, feliciter instituta, haecenus egimus; nihil tamen praeter illarum meritum. Tanto enim melius omnis, in reliquis philosophiae partibus, succedat emendatio, necesse est, quanto plus in vtraque hac parte profecerimus. De reliquis vero philosophiae theoreticae partibus parcius iam, magisque adstrictè, dici a nobis poterit, non, quod non aequè magna & notabilis iam hodie illarum facta sit reformatio, seu emendatio; sed, quod paucis illa omnis enarrari verbis potest. Etsi enim in *philosophia naturali*, seu *physica*, nulla, qua *obiectum* ipsum, adeoque nulla quoque, qua generalem disciplinae huius naturam & indolem, facta est commutatio, quin potius physica eadem nobis adhuc, quae Aristoteli fuit, disciplina est, doctrina nempe de corporibus naturalibus, rebusque materialibus; tot nouae tamen circa hoc ipsum obiectum, qua singulas ipsius species inprimis consideratum, detectae veritates sunt, vt, huius saltem intuitu, pro plane noua possit haberi disciplina. Nemo vero id a nobis hic postulet, vt vel numerum illarum hoc loco ineamus, vel synopticam quandam earundem recensioem instituamus. Quis enim tantam rerum, nouiter hic inuentarum, multitudinem & copiam, vel tanta paginarum angustia & paucitate circumscribere, vel animo etiam solum complecti simul, posset? Eundem nobis per praecipua physices foret capita, recensendum, quid de illis olim vniuersa fere senserit antiquitas, quid Aristotelici & scholastici de iisdem inprimis tradiderint, atque, quid post susceptam, huius quidem philosophiae partis, a VERVLAMIO, CARTESIO, GASSENDO, aliisque, ipsos insecutis, reformationem, singulis fere

Quae physices & theologiae naturalis facta sit reformatio.

fere decenniis, qua praecipua eius capita, nouiter inuentum sit, quaeque inde in multis conclusionibus physicis ortae mutationes fuerint. Spissum autem, satisque grande, haec ipsa volumen conficerent, quod huius vero nec loci, nec instituti, forsan etiam ultra vires nostras, est. Qui illa scire auet, is Aristotelicorum compendia & systemata cum recentiorum modo contentat cogitationibus, scriptis & systematibus, atque satis luculenter insignem huius disciplinae emendationem obseruabit, siquidem vbiuis iam naturae rerum ipsarum magis conformia philosophorum cogitata sunt, quum olim barbaris scholasticorum terminis metaphysicis omnia in eadem comprehenderentur, eoque ipso pauculum illud lucis, quod rebus physicis illo tempore adhuc affulserat, miserrime obscuraretur. Quae in compendio vero dici ea de re possunt, illa iam alio tempore a nobis dicta sunt, ideoque actum denuo agere in praesenti nolumus (d). De *pneumatologia & theologia naturali* vt multa addamus, non videtur esse opus. Praecipua enim huius philosophiae partis emendatio in eo inprimis consistit, quod, quum & hic olim omnia obscuris, barbaris, ineptisque scholasticorum, omni non raro sensu vacuis, complerentur terminis, recentiores iam, post salutarem philosophiae rationalis & primae emendationem, etiam hic, missis scholasticorum ineptiis, ad ideas distinctas, solidasque, quantum eius quidem fieri potest, in capite praeferrim de *Deo, & anima humana*, demonstrationes omnia reuocare coeperint, satisque iam intelligant, nihil hic confusis scholasticorum conceptibus, obscurisque terminis, ad veritatis cognitionem profici. Inprimis vero in capite de *Deo*, in multa, quae ad probandam Dei existentiam afferri vulgo solent, argumenta paulo accuratius coeperunt inquirere, sicque atheis nos

(d) vid. praefat. institutionibus physic. praemissa, vt & prolegom. phys. S. XIII. ff. add. IO. BAPT. DV HAMEL, de consensu veter. & nou. philos. & STVRMIVS, in *physic. hypobetica, seu electiva*, quae bibliothecae cuiusdam physicae instar est, vt & MORHOFFIVS, in *polybist.* aliique.

nōs ridendi, & in pertinacia sua persistendi, occasionem demere, quippe qui vnici illorum argumentorum, quae, quum ad probandam Dei existentiam adhiberi soleant, nihil tamen probant, in impiorum illorum hominum animis solent esse effectus. In capite vero *de anima humana* iam accuratius in eius naturam & operationes, quam olim quidam factum est, inquiritur, eiusque inprimis *immaterialitas*, indeque pendens *immortalitas*, adeo luculentis, euidentissimisque, a cogitatione praecipue desumptis, hodie iam demonstratur argumentis, vt truncum oporteret esse & stipitem, qui vel animam humanam materialem esse, vel materiam cogitare posse, sibi persuadere amplius vellet (*). Vt ea, quae de *commercio animae & corporis* recentissime disputata sunt, iam taceamus.

§. XXV.

DE philosophia theoretica, eiusque emendatione, haecenus egimus. Superest, vt iam de *practicae* quoque philosophiae emendatione & reformatione adhuc agamus. Supponimus enim hic vulgarem illam vniuersae philosophiae in *theoreticam* & *practicam* distributionem, eo quod fundamento illam suo non destitui, & res ipsa loquitur, & suo etiam loco paucis iam a nobis demonstratum est. (e) Non est vero, quod quis putet, in hac forsan philosophiae parte nullam, quae alicuius momenti sit, factam esse reformationem; quin potius affirmandum nobis est, longe hic maiorem adhuc factam esse rerum commutationem, quam in vniuersa philosophia theoretica. Non possumus vero haec ipsa distincte satis perspicere, nisi paucis prius, quae facies philosophiae Aristotelicae, per cuius quippe emendationem ille demum rerum in philosophia practica status emerfit, olim fuerit, hic nobis repraesentemus. Inter omnes nempe constat, superesse in operibus Aristotelis philosophicis

De practicae philosophiae differitur, atque, quid Aristoteles de eadem docuerit, ostenditur.

G 2

libros

(*) Vid. quae ipsi eam in rem diximus, in *instituz. pneumar. & theol. natur. §. X. sq. & §. XLII.* (e) In *prolegom. scil. de philos. in genere §. XVI. sq.*

libros morales, quos ad Nicomachum (f), aliosque, quos ad Eudemum, scripsisse fertur, tum & magnorum, vti vocantur, moralium, qui tamen reliquis longe contractiores sunt: praeter hos autem in iisdem libros politicorum & oeconomicorum adhuc deprehendimus (g). Non videtur vero Aristoteli fuisse propositum, vt omnem in vniuersum philosophiam practicam scriptis complecteretur; vel inter illa etiam eius scripta moralia, quae deperdita sunt, nonnulla adhuc fuisse, quibus ea, quae hic adhuc desunt, complexus fuerit, dicendum nobis erit (h). Quicquid vero eius rei sit, certe Aristotelici, quibus religio erat, Aristoteli aliquid addere, & qui cum Melanchthone censebant, Aristotelem de moribus ciuilibus adeo scripsisse erudite, nihil vt de his requirendum sit amplius, ex his ipsis libris philosophicis tres distinctas exsculpebant disciplinas, quarum primam ethicam, alteram politicam, tertiam oeconomicam vocabant, hisque omnem philosophiae practicae terminabant ambitum, eo quod Aristotelem omnia, ad hanc philosophiae partem pertinentia, libris hisce complexum esse putabant. Et quoniam Aristoteles in libris Nicomachiis non minus, quam illis ad Eudemum, & magnorum moralium, de summo bono, tanquam vltimo, ad quem actiones suas homo dirigere debeat, sine, egerat, atque ad idem obtinendum virtutes quasdam, tanquam media, commendauerat, quarum undecim in primis erant, quibus doctrinam de quinque virtutibus, vti vocabat, intellectualibus, intelligentia, scientia, sapientia, prudentia & arte, vt & de subiecto illarum, adiecerat,

(f) Alii a NICOMACHO potius, Aristotelis filio, scriptos esse volunt. vid. CICERO de F. B. & M. lib. 5. p. 143. (g) vid. de his scriptis Aristotelis celeb. FABRICIVS *biblioth. graec. lib. III. cap. 6. §. 29. sq.* (h) plura enim, ab Aristotele, ad philosophiam practicam spectantia, scripta esse, quam quae hodie in eius operibus supersunt, colligi potest, cum ex CICERONIS *epist. ad Quintum fratrem lib. III. epist. 5. & de F. B. & M. lib. 5. p. 143.* tum vero & ex recensione scriptorum Aristotelis apud DIOGENEM LAERTIVM, in *vita eius*, vbi scripta memorantur, quae hodie inter opera Aristotelis non reperimus.

iecerat; coeci eius sectatores inde disciplinam aliquam conderunt, quae de *summo bono*, atque vndecim illis *virtutibus* Aristotelis *moralibus*, & quinque *intellectualibus*, vt & subiecto illarum, exponeret, illamque *ethicam* appellarunt. Quoniam in libris politicorum vero ea, quae ad rem publicam, in libris oeconomicorum autem, quae ad rem cuiusque familiarem priuam, pertinere censebat, tradiderat; *politicam* atque *oeconomicam* inde suam cudebant, hisque *tribus disciplinis* omnia, quae ad philosophiam practicam referri possent, exhauriri, immo ab Aristotele iam exhausta esse, ad vnum fere omnes existimabant.

§. XXVI.

INter ipsos tamen Aristotelicos mirifice de eo adhuc disputari videas, quale inter *ethicam* atque *politicam*, ex mente Aristotelis, constituendum sit discrimen, quum illud ab Aristotele non satis definitum esse deprehenderent. Sunt enim, qui *ethicam partem generalem* philosophiae practicae, *politicam cum oeconomica vero partes speciales*, esse contendunt, ita, vt ethica in genere ea tradat, quae deinceps in politica & oeconomica, habita diuersitatis obiecti ratione, specialius sint applicanda. Alii vero *ethicam* ea, quae *homini* in genere spectato, seu, prout homo est, & in relatione ad alios omnes, sine vlllo discrimine, homines, obseruanda sunt; *politicam* vero ea solum, quae ipsi in *societate ciuili*, vt *oeconomica*, quae in *societatibus minoribus*, obseruanda incumbunt, tradere volunt, de qua quidem controuersia, vt alias diuersas sententias taceamus, data opera exponit MICHAEL WENDLERVS, S. S. theologiae olim doctor, & phil. moral. prof. publ. Wirtebergensis, in *peculiari programma a. 1657.* edito, & eius *compendio philosophiae practicae Wirtebergae a. 1655. ed.* praemisso, cui ex recentioribus addi potest ROSTOCHIENSIS d. & pr. publ. celeb. FRANC. ALBERT. AEPINVS in *proleg. ethic. cap. 1. §. 10. (i)*. Hoc tamen non obstante discrimine

Est de discrimine ethicae atque politicae Aristotelici inter se disputarunt, nihil tamen in illis mutarunt.

G 3

(i) Addi his quoque possunt CONRINGIVS *de ciuil. prud. cap. 7.* & BEC-

mine semper doctrinam de *summo bono, virtutibusque*, hinc *moralibus*, hinc *intellectualibus*, Aristotelici in ethicis suis libellis, ad Aristotelis ductum, tradiderunt, neque quicquam, praeter haec, ad eandem retulerunt; ea vero, quae Aristoteles de republica docuerat, ad politicam suam referebant, neque de his etiam quocumque modo vel amplificandis, vel emendandis etiam, vlllo modo fuerunt solliciti. Perduravit ergo misera haec, atque exsucca plane, philosophiam practicam tractandi ratio per complura secula, multisque in locis & academiis ad superioris vsque seculi finem adhuc erat recepta. Neque enim statim ab hac tractandi methodo se dimoueri passi sunt philosophi Aristotelici, postquam HUGO GROTIUS vniuersam de *officiis* doctrinam peculiari suo *iuris belli & pacis* opere iam complexus erat, quin, hoc ipso potius Grotii instituto neglecto, suis adhuc *κατηγορηαδοτοις* inhaerebant praeiudiciis (k). Vnde, quoniam iuris

MANNVS in *lin. doctr. mor. cap. 1. §. 2.* ad quos ipse quoque Aepinus l.c. prouocat. add. IAC. THOMASIVS in *phil. pract. tab. I. & in annot. ad eandem annot. 5.* atque quos ille *num. 8.* adhuc excitat, vt & in *annot. ad tab. II. annot. 10.* Tacemus ea, quae de discrimine *politicae & economicae* disputari ab Aristotelicis solent, de quo videri potest WOLFFGAN. GVS HEIDERSVS, in *philos. politicae systemate cap. I. p. 43. sq.* & PASCHEVS, in *Ina. nou. ant. c. 4. §. 20. p. 228. sq.* Sunt quoque, qui Aristotelem, in libris suis moralibus, non tam *moralem*, quam *ciuilem* potius solam doctrinam, tradere voluisse putant, quibus recentissime quoque ad stipulatur celeb. BVDDEVS in *isagoge lib. prior. cap. 4. ad §. 31. p. 296. fac. b. & p. 300. fac. b.* cui tamen ob stare videtur, hinc, quod ipse hos libros a libris politicorum distinguit, hinc, quod de S. B. in iisdem agit, idque in habitu operandi secundum virtutem optimam & perfectissimam ponit.

(k) Vt de inuenta primum, atque in *formam disciplinae* a GROTIUS redacta, *iurisprudentiae naturalis* scientia, eiusdemque incrementis & fati, multa hic addamus, ad praefens nostrum institutum non est opus. Non enim, integram singularum disciplinarum historiam consignare, nobis est propositum, sed ex disciplinarum potius historiis ea, quae ad scopum nostrum faciunt, solum seligimus. Vnde & quae de inuenta iurisprudentia naturali hic scire necesse est, tanquam satis nota, iam supponimus. Conferri tamen possunt IAC. FRID. LVDOVICI in *delineat. hist. iur. natur. & posit. vniuers. §. 25. p. 40. sq.* CHRIST. THOMASIVS in *hist. I. N. paulo plenior.* BVDDEVS, BARBAYRAC, aliique historiae I. N. scriptores.

iuris naturalis scientia diu neglecta a philosophis iacebat, iureconsulti sibi eandem, tanquam non maxime sibi solum proficuum, sed ad forum etiam suum tantum spectantem, coeperunt vindicare, hodieque eandem, tanquam domesticam suae iurisprudentiae partem, pertractant: quo factum est, ut multis hodiernum illud adhuc haereat praecudicium, non posse iurisprudentiam naturalem, pro rei dignitate, nisi a iureconsulto, tradi, quum philosophiae tamen illa potius pars sit, a nemine etiam, nisi philosopho, aut philosophiae saltem doctrinis satis imbuto, atque ex principiis philosophicis, possit tradi.

§. XXVII.

Postquam necessitatem vero iuris naturalis in philosophia, quodque illa, quae a GROTIO, eiusque successoribus, in eodem tradebantur, fundamentum omnino in re habeant, intelligere tandem superioris seculi philosophi coeperunt; de recipiendo quoque in philosophiam iure naturali coeperunt simul cogitare. Non vna autem omnes idem via aggressi sunt. Alii enim, in quorum animis Aristotelica, philosophiam practicam in ethicam, politicam & oeconomicam, distinguendi ratio, adeo altas radices egerat, ut difficulter iterum euelli ex iisdem posset, quoniam nullam, praeter commemoratas illas disciplinas, hic locum habere, persuasi erant, in ea propterea versabantur opinione, quod iurisprudentia naturalis Grotii Aristotelicae philosophiae diuisioni necessario attemperanda sit, eiusque adeo dogmata partim ad ethicam, partim vero ad politicam & oeconomicam, referri debeant. Vnde multi doctrinam de officiis, quae *absoluta* in J. N. vocantur, ad *ethicam*, illam vero officiorum *hypotheticorum* partem, quae *societatibus maioribus* propria est, ad *politicam*, illam vero, quae *minoribus*, ad *oeconomicam*, referre coeperunt, ita tamen, ut id, quod *iuris, propriaeque nostrae felicitatis*, consideratio a nobis postulat, cum *regulis prudentiae* perpetuo miscerent, neque satis isthaec inter se discernere-

Tandem vero iurisprudentia naturalis in philosophiam practicam recepta, atque ethica simul emendata est.

cernerent (l). Alii vero, etsi J. N. pro peculiari, reliquisque contradistincta disciplina, tandem agnouerunt, illud tamen inter ethicam atque J. N. constituendum discrimen esse censuerunt, vt ad illam, *praeter doctrinam de virtute, officia* homini in quocunque statu competentia, seu *absoluta*, pariter referrent, iuris vero naturae nomine reliquam totam philosophiam practicam comprehenderent (m). Alii contra, qui iurisprudentiam naturalem peculiari opere exponebant, multa simul, quae ad ethicam magis pertinebant, admiscebant, quo vitio ipsum praestantissimum PUFFENDORFII opus laborare, negari nequit (n), vt adeo hoc modo, post inuentam iurisprudentiam naturalem, non vnus generis in philosophia practica orta fuerit confusio. Factum vero tandem est, vt viri quidam eruditi perspicere inciperent, quantum in eo momenti situm sit, vt ethicam non solum aliter, quam factum haecenus ab Aristotelicis erat, pertractarent, sed simul distinctum quoque eandem inter, nouiterque inuentam iurisprudentiam naturalem, constitueretur discrimen, iustique singulis definirentur limites, quippe sine quo etiam ex confusione illa quomodocunque eluctari, atque ad

(l) Vt alios antiquiores hic praetereamus, nostra adhuc aetate id ipsum fecit ADAMVS RECHENBERGIVS, in *lineam. philos. ciuil. Lips. 1709.* quinta vice editis, & AEPINVS *introd. in philos. part. 5. & 6.* in quo illud praeterea adhuc obseruare vitium licet, quod *ius naturae*, quod *ethicae* tamen atque *politicae* adhuc contradistinguit, pro *principio ethices* venditat, atque *proleg. ethices cap. 2.* ita acceptum pertractat. Quo ipso dum *iuris naturae* vocabulum non pro iurisprudentia naturali, seu *peculiari* quodam *disciplina*, sed pro *primis iusti rectique principiis*, quae *connata* vocari solent, videtur accipere, nouae adhuc confusione viam aperit. (m) facit hoc inprimis PHILARETVS in *ethica duobus libris comprehensa Amstelod. 1708.* tertium edita. (n) Quo inprimis illa pertinent, quae in *I. N. & G. lib. 2. cap. 3. §. 3. ff.* traduntur, vbi de officiis aduersus seipsum exponit. vid. & *de O. H. & C. lib. 1. c. 5. §. 4. ff.* Factum autem hoc eum in finem viderur, vt vniuersam philosophiam practicam iuris prudentiae naturalis ambitu circumscriberet, quo quidem praecudicio laborare eruditorum alii, post inuentam a Grotio iurisprudentiam naturalem, ex causis, supra adductis, coeperunt.

ad solidam aliquam disciplinarum practicarum emendationem aspirare, plane erat impossibile. Debemus vero id potissimum, quantum constat, VINCENTIO PLACCIO, professori moralium apud Hamburgenses seculo superiori meritissimo, quippe qui, primus fere, de plane noua ethicam pertractandi ratione, discernendisque paulo accuratius I. N. atque ethices finibus, cogitare, ethicaeque nouum plane, maximeque peculiare, atque a I. N. longe distinctum, tribuere obiectum coepit (o). Edidit enim ille anno 1675. *typum accessionum moralium, seu institutionum medicinae moralis*, qui & anno 1681. in germanicum idioma translatus prodiit (p), quo quidem in scripto *methodum* docendi, *medicis* inprimis familiorem, feliciter imitari, &, vti illi de mor-

H

bis

(o) Praeludit ipsi quidem iam quodammodo BACO de VERVLAMIO, *de augm. scient. lib. 7. vbi cap. 1. p. 431.* edit. supra cit. vniuersam ethicam partitur, in doctrinam *de exemplari, siue imagine boni*, & doctrinam *de regimine & cultura animi*, quam partem etiam *georgicam animi* appellat, atque *cap. inprimis 3. p. 454. sq.* vberius persequitur. Hic enim disertis verbis p. 456: *in cultura animi, scribit, & morbis eius persanandis, tria in considerationem veniunt; CHARACTERES DIVERSI DISPOSITIONVM, AFFECTVS & REMEDIA, quemadmodum & in corporibus medicandis tria illa proponuntur: COMPLEXIO, SIVE CONSTITVTIO AEGRI, MORBVS ET CVRATIO.* Vnde & PLACCIVS, quum ad emendam, methodoque medica pertractandam, philosophiam moralem animum applicuisset, ad quod, vti ipse disertis verbis, loco postea citando, refert, a fratre suo, medico, excitatus erat, in hunc ipsum *librum 7. VERVLAMII commentarium, de agenda morali scientia*, edidit, qui prodiit *Francof. 1676. 8.* Quoniam ista haec omnia tamen ad vulgarem philosophiae practicae in ethicam & politicam distinctionem VERVLAMIVS applicat, atque *georgicam* suam animi alteram ethices partem facit, praeterea quoque non satis omnino ordinate de his omnibus exponit, quippe in peruidendis inueteratis vitiis, quam iisdem emendandis, felicior; PLACCIVS vero & copiosius, ordinatiusque, haec omnia tractat, atque noua sua tractandi ratione, id quod inprimis hic attendi meretur, limites inter I. N. atque ethicem accuratius definit, quod Verulamio plane ignotum erat; ratio iam satis patet, quare Placcium primum fuisse dicamus, qui noua plane ratione ethicam pertractare coeperit, etli, quid ante ipsum Verulamius loc. cit. praestiterit, nobis non ignotum fuerit. (p) Sub titulo: *typus medicinae moralis germanice: oder Entwurf einer vollständigen Sittenlehre nach Art der leibl. Artzney-Kunst &c. Hamburgi 1681.*

bis corporis, atque vel restituenda, vel conseruanda, eiusdem sanitate, solliciti sunt, sic ipse de animi morbis coepit agere, omniaque, quae medici vel de notitia corporis, in *physiologia*, vel de noscendis variis morborum generibus, in *nosologia*, vel de perquirenda corporis sanitate, in *hygiene*, vel de signis atque remediis morborum, in *femeiotica & therapeutica*, solent tradere, ad hos ipsos animi morbos, magna cum cura, transferre (q).

§. XXVIII.

Atque sic ethica noua discipline disciplina facta est.

Atque ab hoc quidem tempore *noua* quaedam disciplinae illius, quam ethicam Aristotelici appellabant, quasi *aera* incipit, longeque simul meliorem vniuersa philosophia practica faciem induit. Ab hoc enim tempore repudiari inepta illa Aristotelis de *undecim virtutibus* doctrina in ethica coepit, atque in eius locum solidior quaedam, morumque naturae conuenientior, de *affectibus*, *affectuumque regimine*, de vitiosis *voluntatis nostrae propensionibus*, earumque *emendatione*, *corrigenisque animi morbis*, atque aliis eiusmodi argumentis, doctrina substitui: quae quidem omnia eo comparata sunt, vt ad *intrinsecam* animi *felicitem* homo magis magisque perducatur. Commendauit se haec quoque ethicam tractandi ratio illis omnibus, qui iugi, ineptiarumque, philosophiae Aristotelicae pertaesi, liberius quodammodo, atque naturae rerum conuenientius, philosophari praecoptabant: vnde tritam illam virtutibus Aristotelicis viam deseruere, hancque longe meliorem ingressi sunt. Referre huc, prae aliis, non pari ramen omnes iure, possumus AR-

NOLD.

(q) Quis scopus ipsi hoc in scripto fuerit, & titulus ipse satis prodit, & ipse etiam PLACCIVS in compendio recenset, partim in tr. *de morali scientia augenda* p. 15. partim vero in *accessionibus ethicae, iuris naturalis & rhetoricae*, Hamburgi anno 1698. editis p. 9. sq. vnde verba eius repetit PASCHIVS, in *inuentis nou. antiq. cap. 4. §. 22. p. 232. sq.* Quae autem occasio ipsi fuerit, in philosophia morali talia meditandi, ipse iterum edisserit in *praefat. accessionum ethicae, iuris naturalis & rhetoricae*, vbi a fratre suo, natu maiore, qui medicinae doctor erat, ad philosophiam moralem, medicorum more pertractandam, se excitatum inprimis esse, scribit.

NOLD. GEVLINGIVM, IO. CHRIST. BECMANNVM, ANONY-
MVM, qui sub PHILARETI latere nomine voluit, CHRIST.
THOMASIVM, ARNOLDVM WESENFELDVM, IOH. FRAN-
BVDDEVN, FRID. GENZKENIVM, NICOL. HIERONYM.
GVNDLINGIVM, IO. IAC. LEHMANNVM, nostrumque ce-
leb. MARTINVM HASSENVN, quippe qui omnes fere, ac sin-
guli, singularem nostrae disciplinae lucem attulerunt (r). Non
omnes tamen aequae sollicitudinis semper iustum *ethicae* atque *iuris-
prudentiae naturalis* discrimen observant, quin, vel sui potius ipsi-
met obliti, vel nouae etiam huic tractandi rationi nondum sa-
tis afflucti, ea saepius *ethicae*, seu *philosophiae morali*, admiscunt,
quae tamen *iurisprudentiae naturali* propria sunt, atque ad illam
quoque referri propterea debebant, quod nouam tunc in his
ipsis scientiis confusionem parit (s). Etenim quando *ethica* sic
iurisprudentiae naturali contradistinguitur, id proprie ad illam
solum referendum est, quicquid ad morbos, vitiosasque propen-
siones voluntatis nostrae, & cognoscendas, & emendandas, facit,
idque, prout ad ipsam hominis cuiuscunque *felicitatem* propri-
am & *intrinsecam* id inprimis pertinet; vti *iurisprudentiae natu-
rali* integra de *officiis* nostris *extrinsecis* doctrina relinquitur.
Quoniam hoc autem modo ad *politicam* Aristotelicorum ea,
quae olim pertractata in eadem erant, referri amplius non po-
terant, quippe quae *iurisprudentiae naturalis* ambitu iam com-
prehensa a recentioribus, maximam partem, erant, ex eadem
tamen *politica* Aristotelica nonnulla adhuc occurrebant, quae
nec ad doctrinam *iuris* referri proprie poterant, quo multa, quae
ad *bene esse* singulorum statuum pertinent, inprimis spectant;

H 2

nouum

(r) Non opus est, vt de singulorum horum eruditorum scriptis, illorumque indi-
sciplinam nostram meritis, seorsim dicamus, quippe quod ad historiam ethi-
ces potius pertinet. Nobis enim hic sufficit, in genere modo annotasse, quo-
rum opera factum inprimis sit, vt in longe aliam, quam olim quidem erat,
ethica disciplinam successiue transformata fuerit. De plerisque tamen horum
videri potest Dn. STOLLE *l. c. part. 2. cap. 4. §. 23. sq.* (s) Fidem huic rei
inferius, adductis exemplis quibusdam, faciemus, vnde haec breuitatis cau-
sa, hic praetermittimus.

nouum iam propterea assignare politicae doctrinae obiectum recentiores nonnulli coeperunt, atque solas *prudenciae regulas*, in singulis statibus obseruandas, in eadem pertractare (t): quo facto id, quod olim sub *oeconomicae* nomine ab Aristotele, eiusque sectatoribus, erat traditum, partim ad *iurisprudentiam naturalem*, partim ad *politicam*, relatum est.

§. XXIX.

Totaque
philosophia
practica
mirifice
immurata.

Mira ergo sic, hic quoque, facta est rerum conuersio, planeque noua hinc orta est totius philosophiae practicae distributio, & tractandi ratio. *Iurisprudentia enim naturalis*, quae iam praecipua quaedam philosophiae practicae pars est, qua hanc formam suam *externam*, in qua tamen multum omnino ad solidam eius cognitionem situm esse praesidii, pluribus posthaec confirmabimus, graecis non minus philosophis, quam vniuersae antiquitati, plane fuit incognita; id quod ex historia huius disciplinae satis constat (u). Quae sub *ethices* vero atque *politices* nomine hodie a nobis pertractantur disciplinae, non magis iisdem fuerunt perspectae, siquidem solum hic iterum nomen nobis commune cum graecis est: saltem ea, quae Aristoteles, cum suis affectis, sub his nominibus pertractarunt, toto coelo ab illis, quae hodie ad ethicam atque politicam referuntur, diuersa fuerunt, adeoque, cum his saltem, nihil amplius, praeter nomen, commune habemus (x). Ex eadem vero, quam supra iam de logica atque

(t) Quis primus doctrinam politicam ita pertractare coeperit, dicere vix possumus. Non parum tamen huc contulisse videtur celeb. D. BVDDVS in *elementis philos. pract. part. 3.* add. eius *praefat. elementis illis*, primum editis, praemissa. (u) Multa quidem, ad iurisprudentiam naturalem pertinentia, in ethica atque politica ab Aristotele, eiusque sectatoribus, esse olim tradita, res fere in vulgus nota est; ante Grotium tamen nemo eadem in peculiarem aliquam disciplinam coagmentauit, prout itidem satis inter omnes constat.

(x) De EPICURO enim, & *Stoicis*, id nobis dissimulare non licet, quod illorum philosophia moralis eo, quo nostra hodie ethica, inprimis directae fuerit, id quod de Epicuro partim ex *DIOGENIS LAERTII lib. X.* partim ex *CICERONE de fin. b. & m. lib. I.* tum vero inprimis ex *GASSENDI syntagn. 1. bios. Epicur. part. 3.* satis clarum est. add. Dn. STOLLE *hist. der*

atque metaphysica reddidimus, ratione id factum est. Optima vero haec ipsa videtur esse philosophiam practicam pertractandi ratio. Etenim negare non possumus, quod *triplex* potissimum, in *omnibus* nostris *actionibus*, locum inueniat *respectus*, qui totius huius diuisionis fundamentum continet. *Primum* enim ante omnia dispiciendum nobis est, quid nos, quoniam non nostri simpliciter iuris, sed alius cuiusdam superioris, Dei nempe, imperio subiecti, sumus, facere propterea oporteat, quidque adeo *officii* nostri ratio a nobis postulet. *Posthaec* vero nemo a deo abiectus, omnisque sensus humanitatis expers, est, ut non se *felicem* esse optet, quod duplici vero inprimis ratione fieri potest. Vel enim *intrinsicam* animi *felicitem* quaerimus, quam omnibus omnino rebus externis multum anteferendam esse, quilibet expertus facile largietur; vel ad *extrinsicam* quoque illam *felicitem*, qua nobis ratione corporis, statusue nostri externi, bene est, aspiramus. Hanc enim vel propterea quoque appetere licet, quod multa a Deo O. M. eo facientia condita sunt, naturali quoque nosmet ipsi, ad ea ipsa appetenda, instinctu ferimur. *Haec* ergo *tria* potissimum sunt, ad quae dirigere actiones suas homo & solet, & potest, neque, quid ultra haec supersit, quod actionibus nostris vlllo modo vel intendere, vel assequi etiam, queamus, video. *Toridem* ergo quoque opus est *scientiis*, quae actiones nostras ad singulos istos fines dirigere doceant, eaque, quae ad illos obtinendos aliquid conferunt, copiose & ordinate exponant, quo quidem omnino iam *iurisprudencia* quoque *naturalis*, *ethica* atque *politica*, comparata sunt (y). Vnde iam

H 3

iam

heydn. mor. §. 107. p. 176. sq. Nunquam tamen plenum philosophiae suae moralis, seu ethices, adornauit systema, nec in formam disciplinae eandem vnquam redegit. De *Stoicorum* philosophia morali idem obseruandum est, etsi suis de cetero naeuis non caruerit. Vide de philosophia morali *Stoicorum* post LAERTIVM, CICERONEM, alios, scriptores, quos magno numero commendat HEVMANNVS *act. philos. rom. l. p. 747. sq.*
 (y) Paulo quidem aliter hoc diuidendi fundamentum exposuimus in *prolegom. de philosophia in genere §. XLX.* res tamen ipsa eodem redit, adeoque ipsa illa


iam perse patet, quam parum illi philosophiae practicae incrementis consulant, qui, neglecto hoc disciplinarum illarum discrimine, ad illam pertractandam se accingunt. Etsi enim, qua nonnulla harum disciplinarum capita, multa omnino, notatu dignissima, quaeque non merentur contemni, afferre possunt; praecipuo tamen illa omnia vsu suo, quem habere poterant, excidunt, nisi generalis ille, ob quem tradenda inprimis erant, finis ante oculos habeatur, totamque hic tractationem illam quasi dirigat & moderetur. Vnde &, etsi in plurimorum graecorum, romanorumque, scriptis multa insignia dogmata moralia omnino occurrunt, quae partim ad philosophiam moralem, strictius dictam, partim ad I. N. & politicam, referri commode possunt; vel propterea tamen eadem non magno nobis vsui sunt, neque illum etiam, quem quidem debebant, in legentium animis consequuntur effectum, quod confusa inter se, maximeque commixta, iacent, ita, vt nunc aliquid, quod iuris stricte dicti est, nunc, quod ad felicitatem nostram intrinsecam solum pertinet, nunc vero, quod circa res extrinsecas prudentia suadet, nullo obseruato ordine, nobis sistant, quae quidem confusio tantum non in omnium, immo vero in omnium, sine exceptione, antiquiorum philosophorum scriptis regnat (z).

diuisio rei naturae omnino quam maxime est conuenientissima. Vniuersam enim, de *decoro ciuili* atque *politico*, doctrinam ad prudentiae regulas omnino referendam esse, vel referri saltem posse, facile patet.

- (z) Videri hoc inprimis potest ex illis, quae celeb. STOLLIVS in compendio, ex plurimorum graecorum, romanorumque, scriptis moralibus affert in *der Histor. der heydn. moral.* vbi multa iurisprudentiae & moralis doctrinae praecepta, inter se mixta, deprehendimus. Immo hoc vitium recentissimis multis philosophiae moralis scriptoribus non minus adhuc adhaeret, vnde vel ex hoc capite lectio illorum, & molesta quodammodo, & minus fructuosa est, cuius quidem rei rationem in *post. dissert.* reddemus.

ERRATA.

Quae festinantem fefellerunt oculum, ipse beneuolus emendabit lector, v. c. p. 25. *lin.* 9. post. *memini*, leg. *possit*, p. 32. in not. *lin.* 2. leg. *Plurarchus*, p. 37. *lin.* 14. leg. *induere* &c.



Wittenberg, Diss., 1730. A-K




TA 70L

mit 74. Stk. bisher verknüpft

v. 178





Q. D. B. V.
DE

1730
Vol. 2. S. 2
12

REFORMATIONE
PHILOSOPHICA
CONDENDISQVE LIBRIS IN
PHILOSOPHIA SYMBOLICIS

QVAM
SVB DIVINIS AVSPICIIS
CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

ORDINIS
ANNO AVGVSTANAE CONFESSIONIS
SECVLARI SECVNDO

CIRCA IPSA SOLENNIA IVBILAEA

AD DIEM IV. IVLII
IN AVDITORIO MAIORI
PRAESIDE

SAMVELE CHRISTIANO
HOLLMANNO


PHILOSOPHIAE PROFESSORE PVBLICO EXTR. EIVSDEM.
QVE ORDINIS ASSESSORE ET H. T. DECANO
PVBLICE DEFENDET

HENRICVS ERNESTVS STIEFEL

LANGENSALZA-THVRING. S.S. THEOL. STVD.

VITEBERGAE

LITTERIS EPHRAIMI GOTTLOB EICHSFELDII



155
P

